
THEODVLI CVM THEOPISTO CONGRESSIONES DVÆ,

PRIMA DE CONTROVERSIIS QVIBVS IMPRÆSENTIARVM FACVLTAS THEOLOGIÆ PARISIENSIS OCCVPATVR.

ALTERA DE PVRGATORIO.





Habitæ PARISIIS,

Anno Dom. M. DC. LXV.

CVM PERMISSIONE, ET APPROBATIONE.

SVNT qui iustissimè damnatas impietates adhuc liberiùs defendendas putent: & sunt qui occultiùs penetrent domos, & quod in aperto iam damnare metuunt, in secreto seminare non quiescunt: sunt autem qui omninò silverunt magno timore compressi: sed adhuc in corde retinent, quod ore iam proferre non audent; qui tamen esse possunt fratribus ex priore ipsius dogmatis deffensione notissimi. Proinde alij seueriùs coercendi: alij vigilantiùs vestigandi: alij tractandi quidem leviùs, sed non segniùs docendi: vt si non timentur ne perdant; non tamen negligantur, ne pereant. August. Ep. 105. Sixto Presb.

THEODVLI CVM THEOPISTO CONGRESSIO

DE CONTROVERSIIS QVIBVS Impræſentiarum Facultas Theologiæ Pariſienſis occupatur.



HEODVLVS, Quid mente verſas THEOPISTE, video te ſolitò triſtiorem? THEOPISTVS, Reverà ſum: diſplicent enim plurimùm illæ Theologorum noſtrorum contentiones, nuſquam, vt opinor, finiendæ; non de leviuſculis, aut problematicis quæſtionibus: ſed de gravioribus fidei noſtræ dogmatibus, quibus ipſa, per quam ad Deum accedimus, maioribus noſtris, ſemper inniti viſa eſt; videlicet de ipſa Eccleſiæ Petra, ſuper quam à Chriſto fundata eſt. Ad quid namque tot verbo-

rum contentiones? Nisi ad subversionem audientium, & scandalum pusillorum? THEOD. ô virum in fide fortem! recordare quæso nominis tui, quod firmam atque inviolabilem Deo ejusque Ecclesiæ fidem & obedientiam semper & vbique præstandam, memoriæ tuæ perpetuò ingerit. Times, ni fallor, ne Cœlum ruat, dum illud ventis, nimbis, atque procellis vndiquè concussum vides? THEOPIST. Non equidem timeo: nimis enim stabili lege firmatum, tam naturali rationis, quàm divino fidei lumine didici. Lego in scripturis, quòd *verbo domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*: lego, quòd, *ordinatione illius perseverat dies & omnia serviunt ei.* Ordinatio autem illa naturalis cum sit, nec à flexibili in omnem aërem humana voluntate dependeat, nulli temporum caducitati est obnoxia. At Ecclesia; morale est seu mysticum quoddam corpus; libera hominum fide in Deum compactum atque connexum, quod facili negotio dissolui potest. *Nemo* enim, vt ait, Augustin. *invitus credit, aut benefacit.* THEODVL. Ergo times, ne Ecclesia dissoluatur & pessum eat, quasi non eodem Verbo Dei stet reposita? Audisti regium psaltem sæpius in Ecclesia canentem: *Deus fundavit eam in æternum*? Audisti dominum proprio ore promittentem; portas inferi nusquam adversus eam prævalituras. Portas autem inferi Hilarius & alij Sancti Patres; vocant hæreticos, schismaticos & alia eiusdem farinæ monstra. *Verbum autem Dei manet in æternum*, inquit Isaias. Et dominus in Evangelio: *Cœlum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt.* Vt intelligas prius Cœlos, terram & elementa, in primam favillam

esse reidgenda, quàm Ecclesiam Christi sponsam, non dicam expugnandam, sed vel tantillum labefactandam. Nihil ergo timendum Ecclesiæ, quæ Navis est illa Evangelica, in cujus puppi Christus dormit, licet vndique tempestatibus agitetur, aut fluctibus obrui videatur; *Modicæ fidei quare dubitasti?*

THEOPIST. Sane non dubitavi. THEOD. Scitè admodum respondisti: nemo enim sanæ mentis, potest in hac materia dubitare: at saltem hæsitasti: siquidem te vidi mente suspensum & attonitum: suspensus autem ad dubium accedit. Animum resumas velim. Atque vt faciliori negotio id assequaris, Regios plantarum hortos, aut vincenarum nemus adeamus, quo aëre liberiori atque puriori recreemur, & in moderata de ambulatione nostra, de his omnibus, quid sentiam fiducius tibi aperiam.

THEOPIST. vicimiores his omnibus D. Victoris peramœnæ de ambulationes sunt, præstat nos illuc ire: nam & ad manum habebimus opulentæ illius Bibliothecæ copiam, cujus libros, si necesse sit consulere poterimus.

THEOD. placet tuum consilium: eamus.

THEOPIST. cedo, amantissime *Theodule*; non te movent quæ audis, quæ vides, quorum etiam pars magna tu es? scio enim te unum esse ex illis, in quem animi sui virus, & linguâ & calamo evomunt, qui dicuntur Iansenistæ. quem si possent longe à facultate eliminarent? non te movet sanctimonialium illarum Regalis-Portus (alias Pietatis ac Religionis titulo insignium) pertinacia, qua & Supremi Pontificis constitutionibus, & Regijs diplomatibus, & iteratis Illustrissimi Archiepiscopi sui jussionibus

adeo obfirmato animo resistunt, vt & absolutionis peccatorum suorum (nec enim eas in eo errore esse dixerim, vt se sine peccato esse existiment: insignis enim mendacij Ioannes Apostolus eas insimularet) Beneficio & Sacri Corporis Christi communione, etiam in Paschate privare, id est semetipsas Anathemathe ferire maluerint, quam obedire? non te movent famosorum librorum adversus Illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem farragines, quas pro illarum incauta deffensione insolens Rhetor effutire non desinit? Non afficit quatuor Episcoporum à totius Cleri Gallicani, imo & totius Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ communione & consensu, manualis sui chyrographi denegatione, segregatio? non demum quatiunt animum tuum Theses illæ de Purgatorio, & de Indulgentijs prima Iunij elapsi, magno totius Facultatis silentio propugnatæ: quibus antiqua *de Purgatorio, & de Indulgentijs* Doctrina Catholica, tota convellitur; quæ etiam inter Magistros nostros Patronos invenit? cumque, quod pejus est, vnus ex S. S. M. M. nostris prima Iulij sequentis postulasset vt ad limam revocarentur, tumultu & expostulatione adversus Venerabilissimi iuxta ac maximè Catholici Doctoris libros vix vlli non probatos (quod moris est omnium hæreticantium & Hæreticorum) responsum adque conclamatum est. Non tandem invicta mens tua concutitur cum vides occulis, & manu tangis vnum ex his Bacalaureis quos Iansenistarum conductitios (iure meritissimo) appellant, quod cùm præ tenuiori re Domestica sine subdio alieno ad lauream magistralem ascendere nonvaleant, abundantissimè è Portus-Regalis

pe͞nu eis subministretur: Istum, inquam, eò temeritatis devenisse, vt Thesim quam pro actu Baccalaureum Sorbonico die septima currentis Augusti deffensurus erat, damnata Iansenij Doctrina, partim subtili artificio fucata, partim evidenti & aperta refercire ausus fuerit. Passus est quidem repulsam ex parte Sapientissimorum Magistrorum Decani & aliorum ætate & Doctrina gravissimorum: sed tamen mirum quod adhuc inibi deffensores invenerit: quòd argumento est non inevidenti, adhuc venenum sub viperæ lingua delitescere, & occasionem quærere vt feriat, Num igitur ista te non movent, non afficiunt?

THEODVL. afficiunt quidem: sed compassione, pro cæcitate hominum, qui se videntes jactitant, & mœrere, pro Ecclesię scandalo; inde graviori, quo his celeberrimæ totius Ecclesię Theologicæ Facultatis partialitatibus, divisionibus atque contentionibus, Hæreticorum tela adversus eius vnitatem, & subtilius acuuntur, & vibrantur vehementius. De cætero, nulla me admiratione aut perturbatione commovent; cum in his omnibus nihil aliud deprehendam, quàm Priscorum Etherodoxorum trita vestigia quibus me parum aut nihil, affici debere, dudum admonuit Gravissimus Auctor Tertulianus primo libri sui de præscriptionibus adversus Hæreticos capite. Quæso patienter illum audias: totus enim mihi videtur compositus ad præsentem mentis tuæ statum confirmandum.

THEOPIST. Nedum patienter; sed libenter & jucundè vtramque præstabo aurem.

THEODVL. *Conditio*, inquit ille, *præsentium temporum etiam hanc admonitionem provocat nostram, non oportere nos*

mirari super Hæreses istas; sive quia sunt: futuræ enim prænunciabantur: sive quia fidem quorundam subvertunt: adhoc enim sunt, vt fides, habendo tentationem, habeat etiam probationem. Vanè ergo & inconsideratè plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, quantum sint: cùm quid quid sortitum est vt omnimodo sit sicut causam accipit ob quam sit; sic vim consequitur per quam sit, nec esse non possit. Febrem denique inter cæteros mortiferos aut cruciarios exitus erogando (*id est vrendo*) *homini deputatam: neque quia est miramur: est enim. Neque quia erogat* (id est adurit) *hominem: ad hoc enim est* (scilicet vt exurat.) *Proinde hæreses ad langorem & interitum fidei productas, si expavescimus hoc eas posse: prius est vt expavescamus hoc eas esse, quædum sunt, habent posse.*

Capis, ni fallor auctoris mentem, & subtilissimi ingenij acumen; in hoc situm: quod vt ex Philosophia benè nosti, vnum quodque in tantum agit, in quantum est actu: & quidquid est, est propter suum operari: ita vt propria rei, & naturalis operatio sit vltima eius perfectio: vnde & voluptas nascitur, quæ est summa & completa ejus beatitudo: hinc Augustinus libro decimo Confessionum Capite vigesimo tertio beatitudinem nostram definivit, *Gaudium de veritate.* Cum ergo hæreses sint necessariæ ad electorum sive probatorum manifestationem: cùm sunt, non possunt non habere effectum suum formalem. Effectus verò formalis hæreseos est fidei corruptio, per immoderatum concupiscentiæ ardorem; sicut febris est humorum seu iusti temperamenti corporis nostri alteratio, per immoderatam inflammatæ bilis deflagrationem. Vnde Apostolus quinto ad Galatas: contentiones, æmulationes,

iras,

iras, rixas, dissentiones & Sectas, id est Hæreses, inter opera carnis recenset.

THEOPIST. Mirum in modum gravissimi juxta ac acutissimi hujus auctoris Doctrinâ reficior: perge quæso.

THEODVL. *Sed enim*, infit, *febrem vt malum, & de causa sua, & de potentia sua, vt notum est, abominamur, potius quam miramur, & quantum in nobis est pracavemus; non habentes abolitionem eius in nostra potestate. Hæreses verò, mortem æternā & majoris ignis ardorē inferentes, malunt quidam mirari, quod hoc possint, quàn devitare ne possint, cum habeant devitandi potestatē.*

THEOPIST. Video hæreses vt febres, & quidem pestilentes fugiendas esse: nec mirum si Apostolus hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionem devitandum jusserit, & si Ioannes recipiendum in domum, & consalutandum prohibuerit. Longè igitur & citò à pestilente hoc aëre fugiamus, & tardè ad eum redeamus, quòd medici solent consulere pestis tempore.

THEODVL. Audi quęso & intellige in quos hęc lues vim suam exerat, ex eodem pervetusto hęreticorum malleo. *Caterùm nihil valebunt, si illas tantum valere non miremur. Etenim*, pro aut enim, *Dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi, ex aliqua veritate veniant; mirum scilicet, vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent: nihil valentes, si in fidem bene valentem incurrant.* Mentem auctoris assequere obsecro. Docet non aliud præsentius remedium esse contra hæreses, quàm si eas non miremur tantum valere. Aut enim ex admiratione nascitur scandalum seu offendiculum: aut

ex jam concepto offendiculo, admiratio: quasi ex alicujus veritatis virtute, & non potius ex fidei nostræ imbecillitate venirent tot hęreſicæ perverſitatis mentium de populationes. Nihil ergo Eccleſiæ ab hæreſis malignitate timendum, ſed nobis & præſertim infirmis in fide plurimùm cavendum. *Æternæ cuſtodiæ vigilias*, Chriſtus ei promiſit, ex Zenone Veronenſi cum dixit. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*: &, *Diſcipulos ſemper victuros, eiſdem verbis oſtendit, ſeque à credentibus nunquam receſſurum*: Vt docet Hieronimus; victuros inquam Apoſtolos vſque ad conſummationem ſęculi: non perſonnâ quæ vt aliorum hominum divinę providentiæ fatis ceſſit, ſed officio: Nam Petrus, Paulus, Andræas, & cæteri Apoſtoli, defuncti ſunt: at ſemper in ſucceſſoribus vivunt: vigebitque vſque ad cõſummationem ſæculi ſedes & fides Apoſtolica Romæ fundata. *Vnde*, ait idem Tertul. eodem lib. *Nobis quoque auctoribus præſto eſt, ſtatu fœlix Eccleſia, cui totam Doctrinam Apoſtoli cùm ſanguine ſuo profuderunt.* In hujus veritatis confirmationem Chriſtus à Ioanne Capite primo Apocal. viſus ęſt ambulare in medio ſeptem candelabrorum aureorum, & manu ſeptem Stellas geſtare. Septem candelabra, ſeptem Eccleſias: & ſeptem Stellas, ſeptem Angelos, id eſt ſeptem Antiſtites ſeptem Eccleſiarum, idem Ioannes interpretatur. Septenario autem illo numero, Doctiſſimus Abbas Rupertus, *vnicam Eccleſiam Catholicam, Sancto ſeptiformi Spiritu ordinatam & ornatam*, ſapientiſſimè intelligit. Qui ergo ambulat in medio Eccleſiæ non dormit, ſed vigilanti ſtudio eam cuſtodit, nec extingui lucernas ſuper hæc candelabra poſitas patietur: ſed

divino fidei lumine accensas tenebit: qui dextera complectitur eius presules, non sinet eos excidere juxta verbum istud Ioan. 10. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Vide quæso quomodo se manum Patris dicat. Vnde & subjicit: *ego & Pater unum sumus* Quid porro majus omnibus est? nisi Ecclesia, quam dedit ei Pater Sponsam; pro qua & mortuus est, *ut exhiberet sibi eam gloriosam non habentem maculam aut rugam.* Huic mundandæ, hereses necessariæ sunt, ut ventus areæ ad tritici purgationem. Securi ergo ex hac parte dormiamus. At plurimum nobis ipsis prospiciamus, ne ex numero acerum, aut palearum simus, quæ vento abripiuntur. Hac de re premonitos nos esse voluit Deus in Sacris veteris Testamenti paginis, teste Vincentio Lirinensi Ecclesiæ nostræ Gallicanę celeberrimo Doctore 1. sui Common. lib. cap. 15. verba illius ex meo fidelissimo codice excipe.

Dicet aliquis, cur persæpè sinantur excellentes quædam personæ in Ecclesia constitutæ, res novas Catholicis adnunciare? recta interrogatio, & digna quæ diligentiùs atque uberiùs pertractetur: cui tamen non ingenio proprio, sed Divinæ Legis auctoritate Ecclesiastici Magistri documento satisfaciendum est. Audiamus ergo Sanctum Moysen, & ipse nos doceat, cur Sancti Viri, & qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam Prophetæ nuncupantur, proferre interdum permittantur nova dogmata, quæ Vetus Testamentum, Deos alienos appellare consuevit: eò quod videlicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à Gentilibus, Dij sui observentur.

Scribit ergo in Deuteron. B. Moyses si surrexerit in medio tui Propheta, qui somnium vidisse se dicat, id est Magister in Ecclesia

constitutus, quem Discipuli vel Auditores sui ex aliqua revelatione docere arbitrentur, & prædixerit signum aut portentum, & evenerit quod locutus est. Magnus profectò nescio quis significatur Magister, & tantæ scientiæ, qui sectatoribus proprijs, non solum quæ humana sunt, nosse: verùm etiam quæ supra hominem sunt prænoscere posse videatur quales ferè Discipuli sui jactant fuisse Valentinum, Donatum, Photinum, Apolinarem, & cæteros ejusmodi: quos inter, post Apostolicas Innocentij & Alexandri Constitutiones ac Ecclesiæ Vniversalis consensum Iansenium eiusque Sectatores adnumerare legitimè potes: *& dixerit tibi eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis, id est, credamus eis, sequamur eos; Quid ad extremum? non audies inquit verba Prophetæ illius aut somniatoris. Et quare, oro te, à Deo non prohibentur doceri, quæ à Deo prohibentur audiri? quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non ex toto corde vestro, & in tota anima vestra?*

Luce clarius aperta causa est, cur interdum divina providentia, quosdam Ecclesiarũ Magistros; nova quædam dogmata prædicare patiatur; ut tentet vos, inquit, Dominus Deus vester. Et profectò magna tentatio est, cum ille quem tu Prophetam, quem Prophetarum Discipulum, quem Doctorem & assertorem veritatis, quem summa veneratione complexus sis, is si subitò latenter noxios subinducat errores, quos, nec cito deprehendere valeas, dum antiqui Magistri duceris præjudicio: & facilè damnare ducis fas, dum Magistri veteris præpediris affectu. Hactenus Lirinensis qui vt ipse secundo libro profitetur triennio post sacram Ephesinam Synodum scribebat. Quid adhæc *Theopiste.*

THEOPIST. probè intelligo ex hoc loco auctoris omni

fide ac veneratione dignissimi, quod me alias docuit Apostolus ad Ephesios scribens: eos videlicet, quorum in cordibus Christus per fidem habitat, quique in charitate fundati & radicati sunt nullo novæ doctrinæ flatu esse circumferendos. *Vt non simus*, inquit, *parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris*: sed solum pulverem ex Christi area his ventis esse excutiendum, sicut & mare ventis, procellis & agitatione; suis purgatur excrementis. Sed quoniam vt à te citatus, Tertulianus docet, *Fides in regula posita est, vltra quam nihil scire, omnia scire est.*: age dum & mihi obsecro certum proferas canonem, quo dignoscere possim profanas hæreticorum novitates, ab antiquis fidei aut doctrinæ Catholicæ dogmatibus. Nihil enim & antiquius omnibus Sectarijs & hæreticis, quam veterem Ecclesiæ Traditionem, mores & pietatem, quasi propriam sibi præripere, vindicare, & ventilare.

Theod. duplicem affert Vincentius præcitatus cap. 1. lib. 1. Primam, divinæ legis auctoritatem, alteram Ecclesiæ Catholicæ Traditionem: at quoniam, vt docet D. Petrus 2. Can. cap. 1. *hoc primum intelligere debemus, quòd omnis prophetia*, hoc est expositio aut intelligentia scripturæ, *Propria interpretatione non fit*: sed ab eodem spiritu qui illarum auctor est: qui quidem spiritus vniversali Ecclesiæ, & eius Capiti promissus & concessus est, *vt maneat nobiscum æternum*: cumque ex altera parte, vt ipsemet agnosti, omnes novatores Ecclesiæ Traditionem sibi arrogent & æmulentur; hanc investigandæ veritatis Catholicæ, re-

gulam pręfinit: si id teneamus: *quod ubique, quod semper, & quod ab omnibus creditum est.* Tribus verbis: si sequamur, *universitatem, antiquitatem, consensionem.* Vniversitatem, *si hanc unam & veram fidem esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia.* Antiquitatem, *si ab ijs sensibus nullatenus recedamus, quos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est.* Consensionem, itidem, *si ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.*

THEOPIST. Vbi, amabo, consensionem illam mihi reperies? nec in ipsis Concilijs plenarijs & universalibus visa est: semper enim aliqui dissentiunt ab universali multitudine. Testes sunt in hoc ipso negotio, quatuor illustrissimi scientia, pietate, ut & dignitate, Episcopi, qui à totius non dicam Cleri Gallicani tantùm: sed etiam Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ consensu recesserunt.

THEODVL. Non officiunt pauci numero, universæ multitudini longè majori. Qui pertinaciter cæteris resistunt, ipsi se segregant, & proprio judicio damnati, ab Ecclesiæ corpore, gladio obstinatę voluntatis se se àbscindunt.

THEOPIST. Num habes aliquam regulam certam hujus obstinatę mentis agnoscendæ quą tandem hęreticos, ab Orthodoxis & Catholicis possimus certò dignoscere, & inde postmodum devitandos fidelibus populis designare?

THEODVL. Habeo haud dubiè ad manum: ingrediamur sacri hujus Musæi Librariam: nam & hodiè omnibus patet: inveniemus dudum à me perlecta opera celeberrimi, pietate & doctrina in nostra facultate Cancellarij, Ioannis Gersonis opera, quorum in prima parte æditionis Paris.

an 1606. pag. 414. & 430. duæ extant Opellę, quę proposi- tæ tuæ quæstioni planè ac plenissimè satisfacient: præcedam tu sequere.

Theopist. Expedit fortè ut accepto calamo opuscula describam quæ post modum attentiùs apud me relegere, & si occasio se se offerat cum alijs, quæ eisdem fluctibus dubietatis agitantur communicare possim.

Theodvl Expedit omninò, excipe igitur dum dicto, prioris titulus sic habet.

Sequntur duodecim considerationes secundum totidem signa, quibus solet aliquis de pertinacia notari vel convinci circa materiam hæreticæ pravitatis, præmittendo qualis sit pertinaciæ definitio vel ratio.

„ 1. Consideratio pertinaciæ propriæ ratio, quæ „ errantem in fide, seu hæreticantem, efficit hæ- „ reticum, consistit in depravatione voluntatis per su- „ perbiam aut aliud officium, dum non vult errans, „ cautâ sollicitudine quærere veritatem, aut dum perspe- „ ctæ monstrataeque renuit assentire, vel errorem di- „ mittere. Dicitur enim pertinax, secundum Isidorum, „ *quasi imprudenter tenax*, qui persistit in illo quod debet „ dimittere cæterum pertinaciæ signum multiplex in- „ venitur.

„ 2. *Consid.* Cum quis sustinet Excõmunicationem vl- „ tro, nec potest se sufficienter excusare: & hoc sumitur „ ex iuris præsumptione.

„ 3. *Consid.* Alterum cum citatus pro levi super fide etiam

„ suspicione iudicialiter renu t comparere, vel respondere.
„ Et amplius si sit præsumptio vehemens aut violenta:
„ Et hoc similiter oritur ex iuris fictione.

„ 4. *Consid.* Tertium dum quis asserit, & defendit erro-
„ rem cuius oppositam veritatem tenetur explicitâ fide
„ tenere: tenetur inquam vel ex publica observatione,
„ vel ex communi doctrina Ecclesiæ, vel ex officio seu
„ statu suo, vel ex informatione sufficienti, vel ex natu-
„ rali iudicio rationis; quemadmodum quilibet capax ra-
„ tionis tenetur explicitè credere, nedum articulos fidei, si
„ sit Christianus, sed etiam principia legis naturalis, quæ
„ sunt de primis impressionibus & inscriptionibus indele-
„ bilibus, vt sunt Præcepta Decalogi recepta secundum
„ planum & vsitatum intellectum, apud omnes vtentes
„ ratione non depravata inquacumque lege.

„ 5. *Consid.* Quartum pertinaciæ signum dum quis ve-
„ ritatem fidei, nedum non quærit cautâ sollicitudine:
„ sed declarationem eius impedit ne veniat ad lucem; ma-
„ ximè si Concilium fidei specialè vel generalè propter
„ hoc in se vel in suis impedit; directè vel indirectè mole-
„ stet atque persequatur.

„ 6. *Consid.* Dum quis veritatem Ecclesiæ docentes, seu
„ determinantes odisse se monstrat, & persequi, verbis
„ atque factis: etiamsi dicat atque protestetur, se velle
„ tenere quod Ecclesia tenet vel determinabit, & quia
„ paratus est stare iuri: quia si facta contradicant; hoc est
„ æquitas simulata, quæ duplex est iniquitas. Solent etiam
„ quantum libet hæretici taliter protestari, se Catholicos
„ esse; quod eos ab hæresi non excusat.

7. *Consid.*

„ 7. *Consid.* Dum quis negat veritatem quam prius docuit
„ vel confessus est : nec est probabile quod sit etiam obli-
„ tus : *quoniam secundum iura primo dicto credi debet.*
„ 8. *Consid.* Dum quis petit declarationem veritatis à pe-
„ ritis Doctoribus, seu Iudicibus, quæ dum facta est, ni-
„ hilominùs repudiat, nulla penitus assignata ratione.
„ 9. *Consid.* Dum quis potens commovet seditiones,
„ suscitat bella in populis & regnis, ideo quia facta est
„ alicujus veritatis Catholicæ declaratio, vel erroris re-
„ probatio.
„ 10. *Consid.* Dum quis iurat se male mori quam contra
„ honorem suum quidquam permittere fieri, vel errorem
„ aliquem revocare: ponit enim obicem primæ veritati.
„ 11. *Consid.* Dum quis fovet errantem, & deffendit judi-
„ cialiter, sciens nihilominus, aut scire debés, hunc errare.
„ 12. *Consid.* Dum quis non resistit erroribus, dum potest
„ & debet : debet inquam, vel ex officio ut judex : vel ex
„ fraterna charitate, sicut universi : quoniam agentes &
„ consentientes, secundum Apostolum pari pœna pu-
„ niuntur. Consentiunt autem, qui alios dum possunt (ut
„ dicit Canon.) ab errore non revocant. Denique ista la-
„ tiùs declarat, Okam 4 parte 1. Dialogorum, secundum
„ quæ signa poterit applicatio particulariter fieri.

THEOPIST. Quæso mi Theodule remittamus hanc applicationem in serotinum tempus, dum vero ad manum habemus calamum excipiamus & alteram lucubrat junculam. primo enim intuitu, miram in mentem meam dum scriberem, hæc prior lucem injecit.

THEODVL. Faciam libens. Scribe velocius titulum.

DECLARATIO COMPENDIOSA.

Quæ veritates sint de necessitate salutis credendæ, quæ de sola probabilitate tenendæ, quæ de pietate fidei reputandæ, & quæ sint impertinentes judicandæ: & hoc sub distinctione vel gradu sextuplici, qui ad quaternarium reducitur.

„ 1. G*Radus* veritatum credendarum est Canon totius „ Scripturæ Sacræ, & singulorum qui in ea litera- „ liter asserta sunt: sic videlicet, quod non stat cum fide, „ ut aliquis dissentiat pertinaciter, alicui contentio in ea- „ dem Scriptura, ad intellectum Spiritus Sancti, qui est „ verè & propriè sensus literalis. Si allegatio quæritur suf- „ ficit illud Mathæi, 5. *Amen dico vobis, donec transeat Cœlum* „ *& terra jota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec* „ *omnia fiant. Sequitur: amen dico vobis: Cœlum & terra transi-* „ *bunt: verba autem mea non transibunt.* Constat autem quia „ Canon Bibliorum, lex est Dei per revelationem habita, „ cuius assentiones literales innituntur hoc vnico lite- „ rali principio: omne revelatum à Deo est verum: & „ quia Scriptura Sacra divinitus est à Deo revelata: sic „ quod in omni sua parte est verbum Dei, quod transire „ non potest. Facit ad hoc dist. 9. Decreti capit. Ego solis. „ Si ad sacras. Et quis nesciat.

„ 2. *Gradus*, veritatum ab Ecclesia determinatarum est; „ quæ ab indubitata relatione Apostolorum per suc- „ cessionem continuam devenerunt. Est autem hæc Eccle- „ siæ, auctoritas tanta, vt diceret Augustinus: Evange- „ lio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ compel-

„ leret. Quamquam viciſſim dici poſſit : Eccleſiæ non
„ crederem, ſi non auctoritas Sacræ Scripturæ impelleret.
„ Et ita diverſis reſpectibus, auctoritas vtraque mutuo ſe
„ confirmat. Attendendum tamen eſt , quod non omnia
„ quæ tradit vel tolerat Eccleſia publicè legenda, ſunt de
„ neceſſitate ſalutis credenda : ſicut patebit ex quinto &
„ ſexto gradibus veritatum ; ſed duntaxat illa quæ ſub
„ deffinitione iudiciali, tradit eſſe credenda , vel oppoſita
„ reprobanda , concurrente vniverſali totius Eccleſiæ
„ conſenſu implicitè vel explicitè : verè vel interpre-
„ tativè.

„ 3. *Gradus* eſt veritatum ſpecialiter aliquibus revela-
„ tarum , quæ ab illis quibus revelatio facta eſt, abſque
„ vllâ dubitatione credendæ ſunt. Alioqui non eſſet re-
„ velatio de cujus ratione eſt, vt ſit certa. Cæteri vero qui-
„ bus non eſt revelatio huiuſmodi facta, non obligantur
„ credere, niſi per Miraculum vel Scripturam Sacram, &
„ & præcipuè per Eccleſiam detur certitudo : ſic enim
„ Ioannes Bapt. per ſcripturam propheticam, miſſionem
„ ſuam oſtendit. Et Apoſtolus propterea contulit Evan-
„ gelium ſuum , quod habuerat per revelationem , cum
„ Petro, & alijs de Eccleſia : non quod dubitaret de illo
„ Evangelio : peccaſſet enim nec dixiſſet : etiam ſi Ange-
„ lus de Cœlo , &c. Sed ideo contulit Evangelium ſuum ,
„ vt approbaretur per Eccleſiam ad credulitatem aliorum,
„ & non ſuam. Quia dixit quod nihil ſibi contulerunt,
„ Petrus & cæteri : ſed dextras dederunt, cum cognoviſſent
„ gratiam Dei quæ data erat ſibi. Demum triplex eiuſmodi
„ gradus veritatum reducitur ad vnum : ſcilicet ad verita-

„ tes , quæ credi debent , immediatè & explicitè à Deo „ revelatas esse.

„ 4. *Gradus* continet veritates omnes & singulas quæ „ concluduntur ex præmissis veritatibus in consequentia „ certa , in lumine fidei , vel in evidenti lumine naturali, „ quamvis non in propria forma verborum illic habean- „ tur. Quemadmodum ista veritas est de necessitate salu- „ tis tenenda : quia Christus habuit nervos & venas , „ quamvis in Scriptura Sacra non habeatur in propria „ verborum forma. Et ita de similibus sine numero. Quo- „ niam ista est evidens consequentia , nedum in lumine „ fidei, sed in lumine naturali apud Philosophos. Chri- „ stus fuit verus homo ; ergo Christus habuit nervos & „ venas. Propterea sine temeritate fidei vel discrimine , „ fuerunt aliquando quæstiones fidei ad Philosophos „ Paganos, per Christianos deductæ. Quia videre pote- „ rant acuti Philosophi , quid ex præsupposita lege no- „ stra , licet ab eis non credita , consequenter esset di- „ cendum in bona & evidenti consequentia. Et hic est „ secundus gradus principalis , primis tribus ad vnum „ reductis.

„ 5. *Gradus* qui est tertius modo dicto , reponuntur in „ eo veritates illæ quæ ex veritatibus quadruplicis gradus „ antedicti, vel aliquibus earum deducuntur in conse- „ quentia tantummodo probabili vel Topicâ : vel dum „ in antecedente ponitur propositio quæ ad fidem est „ impertinens, quamvis supponatur esse vera. Dicit autem „ Aristoteles, illud est probabile quod omnibus & maxi- „ mè sapientibus verum apparet. Non autem illud quod

„ indoctis videtur esse verum, dicitur probabile, quia
„ stultorum infinitus est numerus. Veritas autem omnino
„ impertinens ad fidem illa sola dicitur, quæ nec in
„ consequentia evidenti, nec in consequentia probabili,
„ neque certa, sequitur vel repugnat. Porro dum propo-
„ sitionibus fidei apponitur aliqua quæ non est de fide;
„ tunc totum quod est vna copulativa, non potest sim-
„ pliciter dici de fide, quia sequitur debiliorem partem:
„ vt si in ea esset vna contingens, tota esset contingens,
„ quamvis essent multæ necessariæ. Dicitur nihilominus
„ talis propositio ad cuius verificationem requiritur vna
„ propositio non pertinens ad fidem, quod sapit fidem,
„ si vera sit: vel quod sapit hęresim, si sit falsa. Et potest
„ describi propositio sapiens hæresim: quod est proposi-
„ tio ex cuius concessione coassumpto aliquo quod non
„ potest rationabiliter negari, sequitur hæresis in fide:
„ vt si quis affirmaret, quod B. Gregorius non fuisset Papa:
„ quia supposito quod de facto non possint rationabiliter
„ negari historiæ dicentes ipsum fuisse ritè electum &
„ susceptum in Papam: licet non sint de fide; sequitur
„ illa hęresis, quia ritè electus in Papam, non esset, nec
„ fuit Papa. Vnde: nō est propositio ista Catholica, si sibi
„ iungatur aliquid impertinens ad fidem quin totum hoc
„ complexum remaneat ad fidem impertinens, exemplum,
„ vt ista propositio: Biblia est falsa, est hæreticalis: & si
„ adderetur quod Biblia quam habet Ioannes, est falsa
„ non esset hæreticalis de se: licet dici posset sapere hære-
„ sim: super ponendo quod Ioan. non haberet Biblia nisi
„ correcta.



„ Postremo in casibus huius quinti gradus, & sexti se-
„ quentis, *verum est quod causæ fidei referendæ sunt ad Papam*
„ *vel ad Sacrum Concilium, si super eas fieri debeat determinatio*
„ *vel articulus arctans omnes:* secus in aliis causis quæ tres
„ primos gradus & quartum respiciunt: nisi forte per
„ appellationem.
„ *6. Gradus.* Demum in sexto gradu, qui quartus est mo-
„ do dicto, collocantur veritates illæ quæ tantummodo
„ faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis Reli-
„ giosam pietatem: quæ si magis inducunt ad inflamman-
„ dum affectum quam ad instruendum intellectum, ubi
„ pietas devota magis aspicitur, quàm veritas certa. Vbi
„ hoc unum reprobatur, si adesset assertionis temeritas,
„ priusquam elucidaretur, aliomodo per Ecclesiam vel
„ rationem certam ipsa veritas: aut si superstitionem, hoc
„ est Religionem superfluam & vanam, induceret. Vnde.
„ Sicut Aristoteles docet, nihil refert quædam falsa pro-
„ babiliora esse, quibusdam veris: ita nihil refert, quædam
„ falsa piè credi non ea ratione quà falsa sint, vel si sciun-
„ tur esse falsa; credi possunt. Procul hoc à pietate fideliũ.
„ Sed cadit æstimatio vel pia crudelitas; non super veri-
„ tate aut falsitate, sed tantummodo sub apparentia, vel
„ probabilitate. Et hoc utique non est periculosum vel
„ falsum, quia constat de apparentia & probabilitate dum
„ falsitas vel veritas ignorata est. Propterea sapientissimè
„ dixit Hieronimus quod de talibus, eligibilius est piè
„ dubitare, quàm temerè definire. Sicut stat quodlibet
„ contrarium esse probabile, & unum stat cum altero: non
„ in veritate, sed in probabilitate. Sic diversis respecti-

„ bus utrumque contradictorium credi potest cum fidei „ pietate, dum tamen sit animus, ab assertione pertinaci „ alienus. Respicit iste gradus legēdas, & miracula Sancto- „ rum, vitâs Patrum, visiones personarum devotarum, re- „ citationes & opiniones Sacrorum Doctorum, quæ om- „ nia suscepit Ecclesia, & legi permittit: non quia deter- „ minet talia de necessitate salutis esse credenda; sed quia „ proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium, & „ in ædificationem ipsorum, dum in talibus, nihil de cer- „ titudine scitur esse falsum: quamvis etiam nesciatur illud „ certitudinaliter esse verum, quod oporteret: nec vt tale „ credendum proponitur; itaque magis hic attenditur; „ id quod piâ recogitatione fieri potuit: quam illud quod „ factum est. Et hoc apud Oratores celeberrrimum repe- „ ritur, qui ex aliorum personis, dicunt ea quæ non per- „ sonæ dixerunt, sed quæ dicere potuerunt: sicut in le- „ genda Beatæ Agnetis, & B. Sebastiani & similium con- „ tinetur. Hactenus celeberrimus in nostra Vniversitate Cancellarius, qui cum hæc opuscula ediderit pro suorum temporum etiam tùm gravissimis controversijs sedandis, in ipso Constantiensi Concilio, in quo pro Galliarum Rege Orator & Doctor sedebat; possunt haud dubiè & his nostris sedandis tutissimè deservire.

Theopist. Nihil sanè magis ad rem; sed ut soli extra omnem arbitrum liberius de his simul conferre valeamus, amœnissimos hortos & secreta illa viridaria repetamus.

Theodvl. Vt volueris, nihil enim mihi magis cordi est, quam illam mentis hæsitantiam, & ex ea natum mœrorem ex animo tuo excutere.

THEOPIST. Miror è quidem *Theodule*, nullum, quod ſciam, ante hunc diem duodecim illas conſiderationes, cum ſignis correſpondentibus objeciſſe iſtis Dominis Magiſtris noſtris, Monialibus, & alijs quos Ianſeniſtas dicunt. Num putas illos eas legiſſe?

THEODVL. Vtut ſit: animadvertis etiam primo intuitu luce meridiana clarius, undecim illa ſigna planè illis convenire, eoſque de obſtinatione evidenter convincere.

THEOPIST. Cæcus hoc videret. Nam & paſſi ſunt Excommunicationes, & citati à ſua Matre Facultate Pariſienſi, ut de ſuis publicis ſcriptis rationem redderent, non modò comparere noluerunt; ſed etiam, ſe ab ea reſcindi, ſuiſque Cathedris publicos Profeſſores privari. Et hæ Moniales, ſacris etiam in Paſchate arceri maluerunt, quam in Summi Pontificis, totiuſque Cleri Gallicani, (ijs tantum quatuor exceptis Epiſcopis, qui non unitatem ſcindunt aut partiuntur, ſed ſe ipſos, ab unitate reſcindunt) ire ſententiam & verba jurare. Quæ nam obſecro hac una pertinacia major eſſe queat?

THEODVL. Iam ut video doces me; adeò prima harum opellarum inſpectio mentem tuam illuſtravit. Sed quæſo. Trutinam accipe, & Spiritus pondera; indè certò intelliges vndecim illa obſtinatæ mentis in errore ſigna, Ianſenij, Ianſenianæque doctrinæ deffenſoribus, omni ex parte vt dixi, convenire, eoſdemque de hæreſi Palam arguere.

THEOPIST. virgulam tu ipſe ſi placet accipe, & præcipua infamis illius notæ capita in eis mihi indigita, remque facies, non mihi duntaxat, ſed reipublicæ Chriſtianæ & Catholicæ perutilem.

THEODVL.

THEODVL. Nihil amicæ tuæ fidei possum denegare. Et si non sim nescius quale odium parere soleant veritatis lumina, cum nos nostrosque indicant defectus: sed Doctori Catholico, cum loquendi vrget tempus, timendum nihil. Vt olim magnus Hilarius ad Imperatorem Constantium scripsit in causa non absimili, *cuius omnes capilli capitis numerati sunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre nostro cœlesti.*

THEOPIST. perge obsecro. THEOD. primum obstinationis signum à celeberrimo Doctore allatum, est, *cum quis excommunicationem sustinet, nec se potest, sufficienter excusare.* An non luce meridianâ clarius est prædictos omnes Iansenij eiusque Doctrinæ defensores, pœnas & Censuras Ecclesiasticas, inter quas Excommunicatio prima numeratur, & per Bullas Innocentij decimi & Alexandri septimi eis inflictas, erecta fronte, & inflexibili collo, aut corde indomabili sustinuisse. A quibus tam futiliter, quàm illegitimè huc vsque se se excusare tentarunt? quin imò, nonne mille illæ artes, & argutiarum potiùs quam argumentorum machinæ, quibus illarum vim eludere conati sunt, apertæ sunt demonstrationes, obfirmatæ mentis illorum in sensu perverso, ab Ecclesia, Ecclesiæque capite proscripto & damnato?

THEOPIST. Peremptorium est illud signum: nec video quid in contrarium proferre valeant.

THEODVL. Secundum non minus est evidens. Nam citatus iuridicè M. N. à sua Matre Facultate Parisiensi in diversis comitijs solemnibus per duos menses integros anno domini millesimò sexcentesimo quinquagesimo

quinto occasione cuiusdam Epistolæ quam Gallicè scripserat,& invulgus ediderat, in qua multa à viris doctis & pijs adnotata erant, quæ & Summi Pontificis atque Episcoporum authoritati plurimùm detrahebant, & fidei Catholicæ ac facultatis eiusdem Decretis adversabantur: vnde & gravissimam malæ fidei suspicionem incurrerat, comparere recusavit, significavitque per Apparitorem Regium eidem matri suæ Facultati Parisiensi, se pro nihilò & irritò habere quidquid ipsa in re præsenti egisset aut actura esset, passusque est vltroneam à sinu piissimæ matris avulsionem, & ex albo Doctorum expunctionem, vnà cum suæ pervicaciæ vindicibus, atque fautoribus, qui huc vsque illi decreto subscribere recusarunt. Quis igitur ab hæresis infami nota seu charactere poterit eos absoluere, quandiu non resipuerint?

Tertium obstinationis signum est. *Cum quis tuetur errorem, cuius oppositam veritatem, tenetur explicita fide tenere.* Nil iuramento sanctius, nil firmius esse debet At Doctores nostri in sua auguratione iurant solemniter se nihil vnquam dicturos, facturos, aut docturos, verbo, seu scripto; contra Sacram Scripturam, Concilia Generalia & Summorum Pontificum decreta. Quid amabo, non contra Apostolicas Vrbani octavi, Innocentij decimi, & Alexandri septimi Constitutiones publicè & privatim, voce & scripto debaccati sunt? inde tam subtiliter quam subolè ab eis inducta *iuris & facti distinctio*, heìc nullatenus admittenda. Inde tot ab eorum Doctoribus publicata volumina, & à quatuor prædictis illis Episcopis mandata specialia edita, pro formularij subsignatione, non alio vt

ſatis reipſa conſtat fine, quam ad Conſtitutionum Apoſtolicarum vim infirmandam, & Regij placiti fallendam Religionem. Quid quid ſit divinam non effugient aut eludent vindictam, quæ adeò ſeverè in Moyſen & Aaronem animadvertit; *eò quòd ad aquas contradictionis, diſtinxiſſent in labijs ſuis*, vbi ſimpliciter & ſincerè obedire debuerant; vt propterea terram promiſſionis non ſint ingreſſi. Parem timeant, vel etiam duriorem ſententiam, qui eo graviori ſe ſe peccato obſtringunt, quo à veritate typus, gratia à lege, à cœlo terra diſtat.

THEOPIST. Quàm iuſta & conveniens allegoria! novi enim plerumque in Scripturis, per aquas Doctrinam ſignificari: video & Eccleſiæ Petram non ſemel & iterum percuſſam virga Paſtorali, cum hac *infideli diſtinctione juris & facti*: video adhuc jurgantes quoſdam ad aquas contradictionis; Vereor profecto ne ipſis, qui nobis Moſis & Aaronis loco ſunt, dicatur: *non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. Sed perge porro. Placent enim omnino animadverſiones tuæ.

THEODVL. Quartum ſignum eſt: *dum quis; nedum quærit veritatis fidei elucidationem: ſed etiam ejus declarationem impedit*. Non te latent ut opinor artes, technæ, tergiverſationes, tumultus & alia id genus, quibus à vinginti annis uſi ſunt; primum, ad impediendam Romæ apud Summum Pontificem quinque Propoſitionum, ab Illuſtriſſimis Galliæ Epiſcopis petitam definitionem & condemnationem: deinde ad eam, *juris & facti* diſtinctione, infirmandam & ludendam.

THEOPIST. Nota ſunt iſta omnibus: & mirum

quod Christianissimi Regis nostri iteratis jussionibus pertinaciùs resistant: ut, non uno, sed duplici inobedientiæ peccato, in utramque Sacram, Pontificiam & Regiam Majestatem offendant.

Quid vero quinto signo manifestiùs, quod tale est: *dum quis veritatem Ecclesiæ docentes seu determinantes odisse se monstrat & persequi factis atque verbis: etiam si dicat se velle tenere quod Ecclesia tenet: quia si facta contradicant. Hoc est æquitas simulata.* Quid his novatoribus verbo tenus humilius aut demissiùs videtur in Sanctam Sedem Apostolicam & Romanam? quid re vera factis insolentius? inde & publicis & privatis colloquijs lingua, manu, calamo, ejus authoritati, palam & privatim ab eis, ubique detractum: inde eius Constitutionibus fides imminuta: inde in Illustrissimos Archiepiscopos & Episcopos, in Sapientissimos Doctores, in societates Religiosas integras, in omnes Mendicantes Ordines, publica, & implacabilia odia: inde Doctoribus, eorumdem Ordinum Mendicantium in nostris comitijs lingua præcisa: inde Sacerdotes pietate ac Doctrina spectabiles, Sarcasmi risus convicia, maledicta; non alia ratione, quàm quia veritatem ab Ecclesiæ capite definitam, & ab Universali Ecclesia receptam, validis argumentis propugnabant, & errores contrarios pari zelo insectantur.

THEOPIST. Fateor hęc omnia sola evidentia seu notorietate facti nulli esse ignota, nec alia indigere probatione.

THEODVL. Pergo igitur alia signa tibi demonstrare.

THEOPIST. Pluribus non est opus, ubi unum aut alterum sufficiebat. satis enim ista per se patent, nec expedit præteritas lites & tumultus, etiam civiles, fidem datam Episcopis se se subjiciendi simplici mente, Sum. Pontificis decisionibus fractam, aliaque hujusmodi revocare in memoriam, quæ necdum ab ea exciderunt. Sed amabo, dic tandem quid censes de ea *juris & facti* distinctione, & qua certitudine ab Ecclesia *facta* difiniri possunt?

THEODVL. Lege obsecro descriptam à te superiùs compendiosam Declarationem Doctiss. juxta ac pijssimi nostri Cancellarij. Is dum explicat quintum gradum supradictarum veritatum, sic loquitur: *Dicitur nihilominus talis propositio, ad cujus verificationem requeritur una non pertinens ad fidem, quod sapit fidem si vera sit: vel quod sapit hæresim, si falsa: & sic potest describi propositio sapiens hæresim: quod est propositio ex cujus concessione coassumpto aliquo, quod non potest rationabiliter negari, sequitur hæresis in fide. Vt si quis affirmaret quòd beatus Gregorius non fuisset Papa: quia supposito quòd non possint rationabiliter negari historiæ, dicentes ipsum fuisse ritè electum, & susceptum in Papam, licet non sit de fide; sequitur ista hæresis: quod ritè electus in Papam, non sit Papa*: & paucis interjectis subjungit. *Postremò in casibus hujus quinti gradus, & sexti sequentis, verum est quod causæ fidei referendæ sunt ad Papam, vel ad Sacrum Concilium, si super eas fieri debeat determinatio, vel articulus arctans omnes.* Habes igitur ex celeberrimi hujus nostri Doctoris Academiæ nostræ sui ævi facilè principis, quem & Iansenistæ, suo jure privato videntur canonizasse, dum ejus nomen suis Kalendarijs inseruerunt, doctrina, hæc tria. 1. Hanc propositionem esse

de fide: *Romanus Pontifex est universalis Ecclesiæ Papa, Christi Vicarius & Petri successor.* 2. Hanc ſapere hæreſim: *Beatus Gregorius, vel Alexander ſeptimus:* (nam utriuſque par eſt ratio) *non eſt Papa, ſeu univerſalis Eccleſiæ Pontifex:* Quia, & ſi non eſt de fide Divum Gregorium, aut Alexandrum ſeptimum fuiſſe ritè electos & ſuſceptos in Romanos Pontifices: tamen non poſſunt rationabiliter denegari Hiſtoriæ, quæ narrant ipſos ritè electos & ſuſceptos in Romanos Pontifices. Vnde ſequitur iſta hæreſis: ritè electus & ſuſceptus in Romanum Pontificem non eſt Chriſti univerſalis Vicarius in Eccleſia, nec Petri ſucceſſor. Habes tertio, *iſtas quinti & ſexti gradus veritates, eſſe à Papa vel Concilio determinabiles, ſi ſuper eas fieri debeat determinatio vel articulus arctans omnes.* Quod ſanè fieri debet quando hæc ſpectant univerſalis Eccleſiæ, non unius ſingularis perſonæ pacem & ſalutem. Theop. Conſtant equidem hæc tria: nec mihi aliquid clariùs hac doctrinâ celeberrimi Cancellarij videri poteſt: unde & conſtat, poſſe Eccleſiam, vel in Concilio Congregatam, vel in Pontifice Romano plena Chriſti Vicariâ poteſtate fungente reſidentem, facta quædam, ea videlicet quæ ad fidem pertinent, determinare: ita ut inde fiat articulus fidei arctans omnes. Iam ad rem.

Theodvl. Ad rem ut veniamus Quinque Propoſitiones damnatæ à Summo Pontifice Innocentio & Alexandro excerptæ ſunt ex libro, qui dicitur. *Auguſtinus Yprenſis,* & in ſenſu ab eo auctore intento proſcriptæ, duo continent: 1. *Dogma* v. c. Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, &c. 2. *Factum*, quod videlicet ex libro dicto Auguſt. Yprenſis excerptæ ſint, & in ſenſu ab eo auctore intento damnatæ:

Dogmati tanquam fidei articulo subscribunt Iansenistæ; fictè, an sincerè nescio, Deus sit. Facto fidem & subscriptionem denegant, audacissque pronunciant, Pontificem imò & Concilium errare posse in hac parte, seque huc vsque non potuisse deprehendere in dicto libro illas propositiones, eo in sensu quo damnatæ sunt. Cœlum Terramque obtestor, an hæc possint rationabiliter sustineri? Pontifex qui eas damnavit & suæ ipsius est interpres Sententiæ, vniversi orbis omnes Catholicæ Facultates Theologicæ, etiam Parisiensis; omnes Ecclesiæ Gallicanæ Illustrissimi Præsules, subscribunt huic veritati; duæ præcipuæ propositiones, ex his quinque, ipsissmet verbis reperiuntur & leguntur in dicto libro, nec alium sensum nisi violentissimum possunt admittere: quibus non obstantibus pauci admodum Doctores, quatuor Episcopi, & vnius Monasterij Moniales quædam reclamant: prævalebitne pars hæc tantilla, totius Ecclesiæ vniversitati, vnitati, consensioni? & oro! quinam, cujus nominis, aut ponderis sunt, hi Doctores? Ipsimet, qui prius damnata illa Dogmata totis viribus propugnarunt, & fortè adhuc cuniculis propugnant: de his enim, quod olim Hieron. ad Augustinum, pronunciandum vix dubito: *hæresis semper simulat pœnitentiam, vt docendi in Ecclesijs habeat Facultatem.* Et ad Demetriadem: *solent per Angulos mussitare, & quasi Iustitiam Dei quærere: cumque fistulato vulnere locum sibi fecerint, venena diffundunt.* Testis illa Thesis à nostris antiquioribus & sapientioribus Magistris, septima currentis Augusti repudiata, & vnâ cum suo auctore damnata, de qua tu ipse superiùs.

Licet igitur, non ſit divina voce revelatum, quod hæ quinque propoſitiones excerptæ ſint ex libro Ianſenij, & in ſenſu ab eo intento damnatæ: quia tamen per ſe patent in textu auctoris, nec poſt tot omnium Ordinum teſtimonia, omni exceptione maiora, poteſt id rationabiliter negari; ſapit hæreſim, qui id negat: quia ex eius negatione ſequitur hæreſis iſta: *quòd Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus non eſt: quòd interiori gratiæ numquam reſiſtitur, &c.* & iſtud factum venit ab Eccleſia, ita determinandum, vt omnes arctet, & obliget: vt de facto per Alexandrum ſeptimum determinatum eſt: & qui eius determinationi ſubſcribere renuit, hæreticus & ſchiſmaticus cenſendus eſt, & iudicandus.

THEOPIST. concludit me iudice argumentum tuum ex ſuppoſita Cancellarij noſtri doctrina: at in eam non iurant Ianſeniſtæ, qui nec in Summi Pontificis verba iurare audent; adeò ſunt Religioſi, & à iudicio temerario ſcrupuloſè, ne dicam ſuperſtitioſè, alieni: cum tamen in ſua inauguratione & in ſingulis actis ſolemnibus & publicis qui eam præcedunt, Sacramentò ſe ſe addicant, nuſquam ſe receſſuros à Summorum Pontificum Decretis, nec quidquam contra ea dicturos, facturos, aut docturos.

THEODVL. Eo fine hanc Doctiſſimi Cancellarij doctrinam attuli 1. Quia ea vſi ſunt Patres Concilij Conſtantienſis in dirimendis vt dixi, quæ tum temporis erant graviſſimæ, tàm *juris*, quàm *facti* controverſiæ. 2. Vt oſtenderem quam procul abſint noſtri recentiores & iuniores Magiſtri à veterũ probitate, gravitate & doctrina.

3. Quia

3. Quia huius celeberrimi Doctoris inter omnes, auctoritas hac in materia plurimum valere debet, quam norunt omnes in omnibus firmam & integram: nec ad sinistram nec ad dexteram vllius Celsitudinis aut maiestatis, etiam Pontificiæ consideratione deflectentem: vnde nec ipsis Pontificibus in omnibus probatur.

Quod autem non Gersonij, sed antiquorum Patrum hæc doctrina sit; tres gravissimos profero, qui longe diversis temporibus floruerunt, eruntque propterea instar omnium. Primus Cyprianus qui Ep. 67. ad Stephanum Romanum Pontificem scribens, rogat eum vt Martianum Arelatensem Archiepiscopum Novatianum deponat, & alterum Catholicum in eius locum sufficiat. Placet illum audire? THEOPIST. Placet omnino. THEOD. *Qua propter*, inquit, *facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne vltra Marcianum pervicacem, & superbum, & divinæ pietatis, ac fraternæ salutis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur: quòd nec dum videatur à nobis abstentus.* Paucis verò interjectis: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Aretale consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur.* Tum sub Epistolæ finem concludit: *Significa nobis quis in locum Marciani fuerit substitutus, vt sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.* Quid clarius pro auctoritate Pontificia Romani Præsulis, ad iudicandum *ius & factum*. Marcianus Novatianum se facto & verbo declarat. Omnes Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi scribunt Romam ad Stephanum Papam. Faustinus Lugdunensis etiam Cypriano. Non convocatur Concilium

in Gallia, Cyprianus non hoc consilium dat Galliarum Episcopis, nec Faustino Lugdunensi: sed Stephano Romano Pontifici scribit; quid? *vt plenissimas literas* (intelligis quid hoc nomen valeat, *plenissimas literas*) id est vniversales, plenam & supremam auctoritatem continentes sicut dicitur plenissimum, id est vniversalissimum Concilium) dirigat ad Episcopos Galliarum: & in Proviciam Provinciæ, ad plebem Arelatensem; quibus plenario iure, deponat Episcopum hæreticum, & Catholicum substituat. *Ius* erat iam definitum: videlicet proscripta erat hæresis Novatiana: *At factum* minime; an videlicet Marcianus esset hæreticus, & ex consequenti deponendus: id totum refertur Pontifici Romano Stephano. A quibus? Ab omnibus Galliæ Narbonensis Episcopis, vt scribit Cyprianus his verbis: *Quæ etiam vobis scio vtique nunciata, tam ab eo:* Id est à Faustino Lugdunensi, *quàm à cæteris Coëpiscopis nostris in ea Provincia constitutis*, quibus & ipse Cyprianus totius Aphricæ Primas se adiungit. Quâ ætate? tempore Valeriani & Gallicani tertio videlicet, Ecclesiæ sæculo, anno post Christum natum, circiter ducentesimo sexagesimo. Ecce quàm nova seu neoterica est hæc auctoritas Romani Pontificis, in caußis fidei sive iuris, sive facti dirimendis.

THEOPIST. Quid mihi Cyprianum profers pro Summi Pontificis auctoritate; nedum *in factis*, sed etiam *in iuris* seu dogmatis controversijs perimendis? Nullo solidiori fundamento nituntur adversarij, vt eam impugnent quàm clarissimi sumul ac generosissimi huius martyris exemplis & scriptis: personant quotidiè aulæ nostræ vocibus

Bacalaureorum nostrorum, qui etiam num insurgunt adversus Stephanum, & eius successores, nomine, voce, & sententiis Cypriani. Gratissimam, non mihi duntaxat; sed Vniversæ Scholæ Catholicæ, rem faceres, si hunc nodum dissolueres.

Theodvl. Faciam, vt spero clarissimè. Ac primum ex Doctiss. Cancellario præcitato supponas velim. *Primis dictis secundum iura, standum & credendum esse:* maximè cum sub est causa legitima, fidem secundis derogandi. Vidimus Cyprianum Epistola citata. Quæ est lib. 5. 13. ad Stephanum recurrere, petere ab ipso vt Marcianum Arelatensem de Novatiana hæresi notatum, deponat & alterum in eius locum substituat, nulla facta mensione Concilij, vel Nationalis vel Vniversalis: iam si aliter sentit, si eundem Stephanum duriùs exagitat, si fidem ei vel denegat, vel derogat; vnde id tandem oriatur est inquirendum? sed quænam inquisitio facienda vbi res per se patet? Apertissimum enim est non alia de causa Cyprianum in Stephanum offensum esse, nisi quia Cypriani erroribus de rebaptisandis hæreticis, vt constantissima Ecclesiæ Petra restitit; *Iubens vt nihil innovaretur, nisi quod traditum erat.* Fides & doctrina Stephani approbata ab vniversali Ecclesia, quæ eius definitioni subscripsit: inde Cyprianus in Stephanum acerbiùs quam par erat, pro humana fragilitate excanduit: etsi igitur sententiam mutasse videatur; standum est, non huic secundæ eius sententiæ quæ ex errore processit: sed primæ, quam omni mentis perturbatione vacuus protulit. Probè dixi, *videatur* nam vt docet Aug. *Ep. 48. ad Vincentiũ, non desunt qui hoc Cy-*

prianum prorsus non sensisse contendunt: sed sub eius nomine à præsumptioribus atque mendacibus fuisse confictum: & quam vis tum ex stylo Epistolę, *quem propriam habere faciem* contendit, *qua possit agnosci*, tum etiam propter communionem Catholicam in ea servatam, Cypriani esse simpliciter fateatur Augustinus: sic tamen eum deffendit. *Porro*, inquit, *aut non sensit omninò quod eum sensisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit vbere charitatis; dum veritatem Ecclesiæ toto orbe crescentis, & copiosissimè deffendit & perseverantissimè tenuit vinculum pacis. Accessit huc etiam quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit pater falce passionis. Vnde? Nisi quia hærens in diffusione vitis, radicem non deseruit vnitatis. Vt si qua, ait* idem Aug. lib. 1. contra. Don. c. 18. *in eius lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.* Cum igitur habeas tam ex Augustino, quàm ex Martyrio Cypriani in communione Ecclesiæ perpesso, ipsum sanctæ charitatis visceribus largissimè pręditum, & in eiusdem vnitate permansisse, & alijs, & si diversa sentientibus manendi auctorem fuisse; Quis primis eius dictis, & factis quæ supra retulimus, esse inhęrendum non dixerit? Vnde Epistola ad Iulianum quæ est 73. Sic loquitur. *Nos qui Ecclesiæ vnius caput & radicem tenemus.* Et infra: *Nam Petro primum Dominus super quem ædificavit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit & ostendit, potestatem dedit, vt solveretur in Cœlis quod ille soluisset in terris.* Clarum igitur est & apertum ipsum nusquam à priori sententia recessisse, nec aliter in Stephanum, insurrexisse,

quàm ex ſolo fraternæ correctionis motivo, quæ etiam inferiori erga ſuperiorem incumbit, modo debiti honoris, ſubiectionis, & obedientiæ limites non excedat, quæ de facto Cyprianum exceſſiſſe vix vllus Catholicus non fatetur: Sed, vt loquitur Auguſtinus, *Noxam, candidiſſimi ſanguinis effuſione pro Chriſto, vbere charitatis eximiæ in Chriſtum, & eius Eccleſiam diluit.*

THEOPIST. Adhuc reſtat in hac controverſia ſcrupulus, quem ſi è medio tuleris, eris mihi magnus, non Apollo, ſed Paulus. Auguſtinus lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18. & alibi; inde Cyprianum excuſat, *quòd illis temporibus,* verba ſunt eius, *nondum plenarij Concilij ſententiâ, quid in hac re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet.* Vbi ſatis apertè indicat, litem hanc non Stephani, ſed Concilij Vniverſalis plenaria auctoritate fuiſſe dirimendam: unde & tandem reſtat, ad Concilium eiuſmodi plenariam, ideſt Vniverſale, pertinere ultimum ſeu ſupremum de cauſis fidei judicium, nec aliquem inter hæreticos numerandum, niſi poſtquam eius definitionibus pertinaciter obſtiterit.

THEODVL. Videris me, etiam invitum adigere pertractandæ quæſtioni ſeu controverſiæ, de qua jam nihil attinet dicere Ad rem noſtram veniamus. 1. Certum eſt Cyprianum ad futurum Concilium non appellaſſe: ſed primum hæſiſſe definitioni factæ à ſe, & ab aliis Coëpiſcopis numero 71. in Concilio Affricano; non adeò tenaci mente aut obſtinata, quin ſaltem poſtea implicitè ſe ſe Stephani judicio non ſubmiſerit: cum ad ipſum mittet, & ad Iulianum ea de re ſcribens, his verbis tam ſæpè ab Auguſt.

laudatis, disputationem concludat; *servatur à nobis patienter, & firmiter, charitas animi, Collegij honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotij.* Quibus apertè indicat se nulli velle injuriam facere, nec vllius juri derogare: sed cuique Collegij, id est Dignitatis & Ordinis quem in Ecclesiæ Collegio habebat, jus & honorem servare. *Collegij* etenim nomine Clericalem Ordinem Cyprianum intelligere nemo Doctus ignorat cum *Collegium* apud Criticos, collegarum societatem propriè significet. Cùm autem ex eodem habeamus, vt ex præcitatis à me locis potes intelligere, Petro & successoribus Primatum Ecclesiæ Vniversalis convenire, ad quem etiam ipsemet recursum habuit vt Marcianum Arelatensem ab Episcopatu deponeret & alium in eius locum substitueret, cum quo se communicaturum promittebat; sane nihil hac, & si liberiori, vt fatetur ipse Augustinus, contentione primæ sedis auctoritati detractum, sed ipsi vt aliis Collegij honorem & primariæ sedis auctoritatem sartam, tectam, & inviolatam esse voluit.

THEOPIST. At nihil ad Augustini mentem: quamvis enim Cypriano, vt dicis: imò vt idem scribit lib. 5. cap. 17. contra Donatistas: *qui vnicuique Episcopo permisit sentiendi hac de re voluntatem, nihil Summo Pontifici detractum aut derogatum voluit*: semper tamen manet Augustini Sententia plenarij Concilij, auctoritatem, vltimam esse omnium nostrarum Controversiarum definitionem.

THEODVL. Invitum me compellis in foveam quam evitare contendo: verbo igitur absolvam. Reverà Concilij vniversalis definitio vltima linea est in quam omnes, quæ

suboriuntur in Ecclesia Controversiæ resoluuntur, majorque mihi videtur auctoritas plenarij Concilij quam Pontificis; at extensivè vt loquimur in Schola, non intensivè. Tanta est firmitas, quantum ad rem seu substantiam, in definitione Pontificia ritè Canonicè & cum maturiori discutione, atque sapientum consilio facta, quanta in Concilij Vniversalis ac plenarii Canonibus: sed non quantùm ad extensionem & accidentia. Scis in Philosophia quasdam veritates esse, secundum se, magis notas, quasdam secundum sensum: nec ignoras bonum additum bono, facere maius bonum. Stant fide divinâ indubiâ, quæ definiuntur à Pontifice ritè & canonicè, vt diximus: at si his accedat Concilij vniversalis auctoritas, bonum addetur bono, firmum firmo, & sic sua extensione erit magis firmum & maius bonum: etenim, & à capite, & à corpore simul iunctis, emanabit & facilius totam vniversalem Ecclesiam pervadet & ab ea recipietur veritas definita & recepta in ipso omnium Ecclesiasticorum Ordinum Collegio atque consessu. An non amabo firmum erat quod Petrus cum Cornelio egerat, dùm eum non circumcisum ad Baptismum recepit: de eo tamen refert ad Concilium Apostolorum, non vt firmitatem accipiat, sed vt definitioni per Concilium faciendæ viam aperiat, & suo facto, robur adjiciat. Nec propterea invtile Concilium ad sedandos plebis Christianæ motus, cui fortè Petri facta revelatio, nondum satis iuridicè innotuerat: ita sanè sapientissimè Pontifex, quod per semetipsum adhibito maturiori consilio posset certâ fide definire, ad Concilium remittit vniversale, vt vniver-

saliùs definita, faciliùs veniant in Vniversalis Ecclesiæ Iuridicam notitiam; & sic faciliùs, efficatiùs & promptiùs *obstruatur omne os loquentium iniqua.* Ad rem autem nostram: excusat Augustinus Cyprianum, ex eò quod illis temporibus nondum plenarij Concilij sententiâ, quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset. Deffectu enim huius consensionis Vniversalis Ecclesiæ quæ potissimùm fit in plenario Concilio, non satis adhuc innotuerat Cypriano articuli hujus definitio, unde nec pertinax aut hæreticus dici potuit.

THEOPIST Nodum difficultatis & invenisti, & mihi saltem, soluisti: venias quæso ad alterum testem hujus veritatis locupletem, quem mihi promisisti. Nisi præter modum tibi importunus fuero.

THEODVL Paucis absolvam nec etiam tandiu Cypriano inhæsissem, nisi tu ipse Cyprianum objecisses Cypriano, quod tibi soluere operæ-pretium duxi.

THEOPIST. Fecisti sanè, sed non est adhuc tempus gratias agendi. Promissis te exonera.

THEODVL. Secundus testis luculentus erit tibi Hieronymus qui altero & amplius post Cyprianum sęculo vixit. Is & calamo, & facto suo, quid in simili causa *facti*, sit agendum, pridem nos docuit. Vndique conveniebatur in ipsa in qua degebat Eremo Chalcidis inter Syros & Saracenos, ut se vel pro *Meletij*, vel pro *Paulini*, vel tandem pro *Vitalis*, qui tres tùm Antiochenæ Ecclesiæ pedum partiebantur, partibus declararet. Causa & facti & juris erat, nam hi tres de hæresi insimulati apud Catholicos plerosque, malè audiebant. Meletius communi Orthodo-
xorum

xorum & Arianorum consensu Anthiochenus Patriarcha renunciatus fuerat,quòd utrique à suis partibus eum stare existimarent. Paulinus accusabatur Sabellianismi : licet de eo coram Ahanasio se purgasset, cui Eustiani non Maletiani parebant. Vitalis Apollinarista, & Apollinaristarum Antistes. Adeo tamen solerter Catholicum se simulabat vt Romæ apud Damasum fidei formulam sanam & Orthodoxam ediderit, cujus mendacium nec facilè,nec citò de tectum est. Quid Consilij capiet Hieronymus Sapientissimus Ecclesiæ Doctor & hæreticorum Durissimus Malleus, in ancipiti trivioque positus ? audias quæso illum. 1. Ad Damasum Epistola. *Quoniam*, inquit, *vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & de super cōtextam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos qui aquam non habent, difficilè vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, potest intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc animæ meæ postulans cibum, vbi olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi linguentis, & interiacens longitudo terrarum me à prætiosæ Marguaritæ Patrimonio, potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & Aquilæ. Profligato à sobole mala Patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrū servatur hæreditas.* Et paucis intejectis. *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, cōmunione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Non novi vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit : hoc est qui Christi non est, Antichristi est.* Hactenus Hieron.

F

THEOPIST. Egregium verò locum! quo nihil mea quidem ſententia ad veteres prioris ſæculi, & ſuborientes præſentes, hæreſes confodiendas validiùs; nihil ad tumultuantium noſtræ facultatis irrequietorum animorum motus ſedandos, efficatiùs aut commodiùs dari poteſt, ſi filij pacis eſſent.

THEODVL. Attende igitur obſecro ad ſingula eruditiſſimi ſancti Doctoris verba. Primo difficillima tempora illo ævo fuiſſe adnotat; ita vt vix agnoſci poſſet vbi nam eſſet, *fons ille ſignatus aquarum fidelium*, id eſt ſanæ Doctrinæ, *& hortus concluſus Eccleſiæ*, in quem non intrant vulpes hæreticantium. 2. Ideo ſibi Cathedram Petri, & fidem Romanam, Apoſtolico Pauli calamo & ore laudatam, non aliam, ſibi conſulendam exiſtimat. 3. Illam indicat eſſe *Corpus* ad quod congregari debeant aquilæ, in extremis fidei & Eccleſiæ tempeſtatibus, ad quod noctuæ aut graculi non accedunt. 4. Apud illam duntaxat docet ſervari *incorruptam Patrum hæreditatem*: id eſt fidei Doctrinam, Sacramenta, & Sanctarum Scripturarum Canon, quæ paſſim alibi, & potiſſimùm in Oriente, vt & nunc profligata erat. 5. *Meletium Vitalem*, & ipſum à quo Sacerdos inauguratus fuerat *Paulinum* ſe profitetur ignorare, vt ſoli *Damaſo* Romano Pontifici adhæreat; non in cauſa *iuris*, ſed *facti*. Id eſt non pro condamnatione Arianiſmi, Sabellianiſmi, aut Apollinariſmi, quorum iam reprobatæ fuerant hæreſes: ſed *facti*, id eſt vt determinatè ſciret quiſnam illorũ trium verus atque legitimus eſſet Antiochenæ Eccleſiæ Præſul, cum quo deberet communicare: à quo tamen *facto* pendebant fidei aut hæreſeon Dogmata: nam

qui hæretico Episcopo adhæret aut dicit *ave*, *communicat operibus eius malignis*. Non sic nostri Iansenij Sectatores, qui à Papæ Decisionibus & partibus recedunt, vt Episcopo Yprensi *Personato Augustino*, adhęreant. 6. Christi esse, & Romani Pontificis esse: Antichristi esse, & Anti-Romani, pro eodem assumit. Quid illustriùs? quid luculentius? quid fortius? vrget tamen Sanctus Doctor idem argumentum ad eundem Damasum Epist. 2. descriptis si quidem prælijs hæreticorum adversus se, & Monachorum quibus cũ degebat in se auctoritatem, subnectit: *Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur meus est. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere si hoc vnus assereret: nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.*

De *facto* directè & primario agebatur: nimirum quisnam esset verus atque legitimus Patriarcha Antiochenus, & Petri successor in ea Cathedra. *De jure* secundario; nempe de Arianismo, Apolliarnismo, Sabellianismo, aut de fide Catholica. Vt se tres illi Catholicos probarent, Damaso se adhærere singuli profitebantur. Petit Hieronymus à Damaso, cuinam se jungat, quis sibi adhæreat? id est quis sit Catholicus Episcopus, cujusnam sit recta fides? Adeò verum est quod olim Cyprianus à nobis citatus Ep. lib. 1. 3. ad Cornelium scripserat: *Petri Cathedram Ecclesiam principalem esse, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, & Romanos esse, quorum fides Apostolo prædicante laudata est: ad quos perfidia non posit habere accessum.* Vnde hortabatur ibi Cornelium ne Fœlicissimum & Fortunatum hæreticos, & schismaticos, qui ausi fuerant à profanis literas accipere, *ad se accedentes exciperet.* Adeò visæ sunt semper à Romana

Petra fluentes doctrinæ aquæ fideles esse, ut qui de eis biberet Catholicus censeretur;qui alienus nusquam ad eas accederet. Iure ergo meritissimo Hieronymus in his angustijs constitutus,etsi à Paulino ordinatus, non audet sententiam proferre, nec cuiquam illorum trium se adjungere quandoquidem ex sua cum illis communione pendebat, rectæ fidei satis aperta confessio, aut reprobatio: nec aliud respondet volentibus eum in suam sententiam, quà vi, quà blanditijs, quà auctoritate pertrahere, nisi Cathedræ Petri adhæreo: *si quis*, ex illis tribus Episcopis Sedem Anthiochenam partientibus, *Cathedræ Petri jungitur meus est Episcopus: si non jungitur, non est meus*, sed Romanus Pontifex cui adhæreo immediatè Primario & supra omnes unde tandem Damasum *per Christi Crucem obtestatur vt ei literis suis significet, apud quem in Syria debeat communicare.*

THEOPIST. Revera adeò clara mihi videntur, quæ hîc exponis; ut percussos facilè dixerim in loco videntium & palpare in meridiè, omnes istos Sanctorum Patrum novos ventilatores, qui dum hæc in eorum Libris legunt (quis enim eos non legisse ausus est addubitare?) tamen non intelligunt. Non intelligunt inquam, quàm justè ad Sanctam Sedem immediatè, eis prætermissis, Hieronymi exemplo recurrant plebes Catholicæ, dum eos vident à debita ei obedientia & fide Orthodoxa deficere: dum plus damnatæ Episcopi Yprensis Doctrinæ credunt, quàm probatis ab universali Ecclesia Summorum Pontificum Decisionibus.

THEODVL. sed magis ad rem de qua nunc quæstio est

idem Hyeronimus ad Demetriadem ſcribens : *Sancti Innocentij qui Apoſtolicæ Cathedræ, & ſupra dicti viri* (S. Anaſtaſium Pontificem Romanum intelligit, quem ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſollicitudinis virũ vocaverat) *Succeſſor & filius eſt, teneas fidem : necperegrinam quamvis prudens callidaque videaris, ſuſcipias.* Qua de re tum agebatur aut qua occaſione, hanc ei regulam præſcribit ? Origeniſtarum hæreticorum qui tùm máximè Romæ graſſabantur. Vbi notandum & impenſiùs advertendum, non tam iuris quam facti fuiſſe tum quæſtionem : nam vt ſapienter advertit ſcriptor ille vitæ eximij Eccleſiæ Doctoris S. Chriſoſtomi quæ anno ſuperiori non ineleganti ſtylo publicata eſt, omnes doctrinam inſertam libris Origenis vt hæreticam damnabant : ſed non omnes Origenem, quem ab his hæreſibus immunem aſſerebant. Alij omninò libros Origenis proſcribebant. Alij tantum errores. Hi Origenis defenſores, ſed non ſectatores, quæ hic auctor ſolertiſſimè diſtinguit, vt eandem faciat & *Auguſtini Yprenſis*, & *Origenis cauſam* : ita vt ſicut tùm quam plurimi innocenter deffendebant Origenem & ejus libros ; qui tamen hæretica dogmata, Origeni aſcripta, damnabat. Inter quos Chriſoſtomum & plurimos inſignes ſolitarios adnumerat. His igitur medijs in fluctibus quibus ea tempeſtate & Orientalis & Occidentalis Eccleſia agitabantur ; quod nam Hyeronimus Demetriadi dat conſilium ? *Sancti Innocentij teneas fidem, nec peregrinam quamvis prudens callidaque videaris doctrinam recipias.* Quam longè ſapientiùs, quam ſalubriùs Apologiſta Monialium rebellium Portus-Regalis, eis conſilium dediſſet, ſi tot

famoſorum libellorum in virum charactere & doctrinali laurea alijſque tot nominibus & titulis inſignem, loco; duobus S. Hieronymi verbis negotium abſoluiſſet dicens: Alexandri Summi Pontificis teneatis fidem, nec aliam, & ſi vobis prudentes callidæque videamini, doctrinam recipiatis.

Theopist. Qua ratione aut via, & hic ſcriptor & illæ mulierculæ, ſe ſe ab hæreſeos & ſchiſmatis labe abluere valeant ſecundum prædictas Cancellarij noſtri leges, non video. At quandoquidem vitæ iſtius Sancti Chriſoſtomi menſionem injeciſti, aperias mihi obſecro de his omnibus libris quid ſentias.

Theodvl. Non recordaris tertij teſtis propoſitæ veritatis, quem tibi promiſi: hunc expediamus, & ſi nobis ſuperſit tempus faciam quod poſtulas.

Theopist. Adeò copiosè & luculenter de propoſita quæſtione diſſeruiſti, ut promiſſorum tuorum non tam ſim oblitus, quàm ſupervacaneum duxerim de his plura contexere.

Theodvl. Paucis expediam quæ prætermittere nulla ratione poſſum: habent enim argumentum eò validius & firmius quod ex ipſis cauſæ viſceribus petitum eſt. Mitto itaque quod ſeptimo ſæculo Agato Pontifex Romanus literis ſuis ad Concilium ſextũ Generale, quod eſt tertium in Trullo, & in eo lectis atque laudatis, damnat non ſolum hæreſim Monothelitarum: ſed etiam auctores nomina & ſcripta, ut ex illius verbis intelliges quę ſic habent. *Quia veritas claruit Deo inſpirante, & falſitas eſt denotata, reſtat ut novitatis error cum ſuis inventoribus, & ijs qui eorum doctri-*

nam secuti sunt propriæ præsumptionis pœnas exoluant, & de medio Orthodoxorum Antistitum pro suæ novitatis hæretica pravitate pellantur, quam intra Christi Ecclesiam conati sunt introducere, & illibatum corpus Ecclesiæ, contagione pravitatis hæreticæ maculare: Et quia Macharius Antiochenus noluerat definitioni Pōtificiæ ad Imperatorem transmissæ, subscribere, à Concilio exauctoratus & de Sacerdotali dignitate repulsus, probationi, ut loquitur Synodus, *Sanctiß. Papæ traditus est.* Mitto quod in actis Florentinæ Synodi refertur; Iosephum videlicet Constantinopol. Patriarcham subito morbo post cœnam correptum in ædicula, in qua de more secesserat, Scripsisse veluti Testamentum in hæc verba: *quoniam ad finem vitæ meæ perveni soluturus jam commune debitum Dei gratiâ scribo sententiam meam apertè universitati filiorum meorum. Omnia igitur quæ sentit & dogmatisat Catholica atque Apostolica Ecclesia Domini nostri Jesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & ijs me acquiescentem do & dico. Profiteor quoque Beatissimum Patrem Patrum & Maximum Pontificem & Vicarium Domini nostri Jesu Christi antiquæ Romæ ad certam omnium fidem.* Quibus exarratis statim nimio timore atque agitatione correptus occubuit; inde Græci omnes in subsequentem fidei definitionem Eugenij Decreto comprehensam consenserunt. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum & Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere & ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem, tradi-*

tam esse quemadmodum in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur. Quam definitionem cum Marcus Eugenicus Metrop. Ephes. impugnare libello ad id composito esset agressus Gregor. Hieromonachus in eum insurrexit, citatis primum duabus Epistolis Clarissimi Archimand. Theodori Studitæ : quarum in prima Michaëlem Imperatorem pro fidei dubijs resolvendis remittit ad Romanum Pontificem, vt inquit: *Per antiquam traditionem ab initio, servatum est.* In altera Naucratium sic alloquitur : *Seiunxerunt se a Corpore Christi à Coryphæa sede, in qua Christus posuit fidei claves adversus quam non prævaluerunt per omne sæculum, nec prævalebunt vsque ad finem sæculi inferi portæ, ora videlicet hæreticorum, sicut promisit ille qui non mentitur.* Deinde in medium prolatis tertiæ Ephesinæ, & quartæ Calcedonensis Synodorū Sententijs, sic ex hac postrema concludit *cum igitur illi* (videlicet Romano Pontifici) *facultas sit exercendi iudicium de fide & Sacerdotibus, iure Christianorum omnium Doctor, in definitione inscribitur.*

His igitur, breviter & compendiosè præmissis venio ad Clarissimum Claræ-vallis Abbatem, Galliæ nostræ decus & ornamentum D. Bernardum, qui in causa Petri Abailardi, quem Goliæ comparat, & Arnoldi de Brixia, quem eius Armigerum vocat, scribens ad Episcopos & Cardinales Curiæ Romanæ Epist. 188. Sic loquitur. *Nulli dubium est quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas.* Tùm Dominum ascendentem in Cœlum, cum Moyse ascendente in Montem confert : & Ecclesiam Romanam cum Aarone & Hur, quos reliquit inferius ad Montis radices cum

populo,

populo, cui dixit: *Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis referetis ad ipsos:* Deinde subjicit, *& quoniam pro Hur & Aaron stat Zelus & auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populum Dei, ad ipsam meritò referimus non quæstiones, sed læsiones fidei & iniurias Christi; Patrum probra atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum*: quia vt docet Tertul. *Quæstio habet curiositatem.* Sollicitat igitur primum S. Abbas nomine Senonensis Concilij, ad quod vocatus fuerat, vt patet ex eius Epist. 187 præcedenti, Corpus Ecclesiæ Romanæ, id est Dominos Episcopos & Cardinales; non ad inquirendum de novis fidei dogmatibus, sed ad occurrendum læsionibus fidei illatis per Petrum Abailardum. Quæ quidem fidei læsiones spectabant & *ius* & *factum*, vt patet ex Epistola sequenti ad Innocentium? vbi sic loquitur. *Novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus & vitijs non moraliter de Sacramentis Ecclesiæ, non fideliter de arcano sanctissimæ Trinitatis, non simpliciter nec sobriè disputatur. Procedit Golias procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque eius Armigero Arnoldo de Brixia, squama squamæ coniungitur nec spiraculum incedit per eas; siquidem sibilavit apis quæ erat in Francia api de Italiâ, & convenerunt in vnum adversus Dominum, &c.* Docet igitur Sanctus Ecclesiæ Gallicanæ Doctor, spectare ad Ecclesiam Romanam tollere hæc scandala de Regno Dei, provocat ad ipsam nominæ Ecclesiæ Gallicanæ Senonis convocatæ, scribit ad Innocentium Pontificem eius caput, mittens ad eum capitula hæreseon ex Abailardi libris excerptarum, qui,

vt indicat Epist. prædicta ad Cardinales & Episcopos curiæ Romanæ, omnium manibus terebantur. Quibus autem verbis Innoc. 2. Ep. 190. Alloquitur? Accipe: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogativa sedis.* Tum paucis interjectis subdit: *Tempus est vt vestrum agnoscatis, pater amantissime, principatum probetis, Zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & fidem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.* Ecce Sedis Romanæ, & sum. Ecclesiæ verticis in caussis fidei definiendis jus assertum, per Galliarum Doctorem celeberrimum, & quasi Episcoporum Patrem, seu potius os & linguam. Iam ad factum veniamus. *Habemus in Francia novum de veteri Magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit, nunc in Scripturis Sacris insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quàm aliena suscitarè conatur, insuper & nova addit.* Sed ne cui videatur solus Bernardus ad Pontificem Abailardi causam referre. Habes apud eundem Epist. 191. nomine Samsonis Remensis Archiepiscopi, Tosleni Suessionensis, Gaufridi Catalaunensis, Alvisij Attrebatensis, qui ad eundem Innocentium, his verbis vnâ voce & calamo scribunt. *Episcopi autem qui propter hoc in vnum convenerant, vestræ Reverentiæ deferentes, nihil in personam eius egerunt.* (Nota factum hic remitti ad Sanctiss. Dom.) *Sed tantummodò capitula librorum eius à Sanctis Patribus condemnata.* (Ecce ex

eius libris excerpta capitula damnata, sicut ex libris Iansenij excerptæ fuere quinque propositiones, & ab Illustrissimis Gallicanæ Ecclesiæ Archiepiscopis, Episcopis & alijs vtriusque Ordinis Cleri Gallicani proceribus ad Sum. Pontificem, Innocẽtium alterum X. huius nominis, transmissæ) *Ne morbus serperet medicinali necessitate abiudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum qui sibi credat habet; necesse est vt huic contagio celeri remedio occurratis. Serò enim medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Processimus in hoc negotio quo vsque ausi sumus. Tuum est de cætero, Beatiss. Pater, providere ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ, Ecclesiæ decor maculetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, Amice Sponsi: tuum est tandem vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Quid ad hæc mi THEOPISTE? Exemplum domesticum est.

THEOPIST. Miror planè plusquam crediderìs: horum omnium consonantiam. Video Abailardum nostris temporibus renatum: video Apim quæ erat in Gallia sibilasse ad Apim quæ erat in Belgio, & convenisse in vnum adversus Dominum, & adversus Christum eius. Video non vnum, sed multos Goliæ huius Armigeros: sed Bernardum inquiro. Attamen supplevit, Illustrissimorum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quam plurimorum sanctitate & doctrina Clarissimorum Sacerdotum omnium ordinum zelus, qui Patrum vestigijs inhærentes, pari & vnanimi sensu, ad alterum Innocentium, causam detulerunt. Quid fecerit novimus. Quid Innocentius secundus Dominis Remensi, & alijs Coëpiscopis rescripserit, nondum intellexi.

THEODVL. Iuſtum eſt ut illud ſcias. Habemus reſcriptum eius inter Epiſtolas D. Bernardi quæ eſt 194. cuius hæc eſt inſcriptio. *Innocentius,&c. Vener. Fratribus Henrico Senonenſi, Samſoni Remenſi Archieſpiſcopis, Eorumque ſuffraganeis. Et chariſſimo in Chriſto Filio Bernardo, &c.* Præmiſſis deinde quæ prætermittenda judicavit, ſic concludit Epiſtolã: *Dolemus autem quoniam ſicut literarum veſtrarum inſpectione, & miſſis à veſtra fraternitate nobis errorum capitulis cognovimus, in noviſſimis diebus, quando inſtant tempora periculoſa, in Petri Abailardi Doctrina pernicioſa, & prædictorum hæreſes, & alia perverſa Dogmata, Catholicæ fidei obviantia pullulare cæperunt. Verum in hoc maximè conſolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus veſtris pro patribus tales filios ſuſcitavit, &c. nos itaque qui in beati Petri Cathedra, cui à Domino eſt dictum & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos, licet indigni, reſidere conſpicimur: communicato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & univerſa ipſius Petri perverſa Dogmata, Sanctorum Canonum auctoritate, cum ſuo auctore:* nota, cum ſuo auctore, *damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus, univerſoſque erroris ſui Sectatores, & deffenſores à fidelium conſortio ſequeſtrandos Excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſuimus.* Ecce quid actum ſit Impoſitum Abailardo, & aſceclis ejus: & quod mirum, Religioſè obſervatum: nec neceſſaria fuit altera ejuſdem Innocentij, aut ſucceſſoris ipſius Conſtitutio Decretalis, ad compeſſendos tumultus excitatos: non deffenſa eſt à quoquam adverſus Innocentij ſecundi Decretum, Abailardi perſona: nulla facta diſtinctio inter juris & facti quæſtio-

nem : prononciata est à Pontifice Romano Sententia in Abailardum, & in Capitula excerpta ex libris illius, per Sanctos Patres Concilij Senonensis,& sic extincta penitus heretica doctrina. Vtinã tam Religiosi essemus hac tempestate. Iam diu Ecclesia Dei pace frueretur optata, & scandalũ cessasset, quod hæreticis in eorũ ruinã: quod Ecclesiæ in eius dedecus: quod nostræ facultati inopprobriũ nostrũ subministratur. In his igitur tribus testibus stet omne verbum; maximè post Sacri Concilij Tridentini Constitutionem,quod Sess. 25. de recipiendis & observandis Decretis Concilij, has omnes lites fidei derimendas ad B. R. Pontificem omni meliori modo quo viderit expedire remittit verba eius accipe: *quod si in recipiendis aliqua difficultas oriatur aut aliqua inciderint, quæ declarationem aut definitionem postulent; confidit S. Synodus B. R. Pont. curaturum vt vel evocatis ex illis præsertim Provincijs, vnde difficultas orta fuerit, quos eidem negotio tractando videbitur expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur:* quæ omnia in hujus negotij definitione fuisse, ad amusim observata non ignoras.

Theopist. Non ignoro certè, ideoque stabit apud me hoc verbum adeò firmiter, vt quod olim Goffridus Vindocenensis libro *secundo Epist. 30. Scripsit. Libenter ausim vsurpare: si pro Domini Papæ obedientia mihi iniuria redditur lætor non mediocriter, & delector pro tanto Domino iniuriari, pro quo non solum quamlibet iniuriam sustinere: sed etiam pro ipso, crucem portare paratus sum: à cuius Sancta Obedientia, &*

fidelitate, nemo vnquam, me separabit: Sed non sic omnes nostri aut Magistri aut Bacalaurei, quos ex verbis & contentionibus putares cum Lutheranis & Calvinistis in Sanctæ huius Sedis iniuriam & ruinam conspirasse: & hoc vt opinor, vocas Ecclesiæ scandalum, vt est de facto. Vnde autem istud odium proficiscatur ignoro?

THEODVL. Aperiet tibi, magnum illud, & antiquum Ecclesiæ Affricanæ Martyrio & doctrina illustre columen Cyprianus Epistola ad Cornelium prçcitata, in qua sic loquitur: *Neque etenim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi cogitatur: cui si secundum Magisteria divina obtemperaret fraternitas universa; nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret: nemo post divinum iudicium, & populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, iudicem se, iam non Episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet.* Nempe semper Pastoribus invident lupi, vt ijs percussis, oves dilanient. Quod autem de Romano Pontifice ad quem scribebat; hîc potissimum loquatur Cyprianus, satis liquet ex libro de vnitate Ecclesiæ: vbi statim initio docet, *Inde omnes hæreses oriri; quod ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri Cœlestis doctrina servatur, quæ si quis consideret & examinet, tractu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum, quia tu es Petrus. Et iterum post Resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. Super illum vnum ædificavit Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; & quamvis Apostolis omnibus post*

Resurrectionẽ suam parem potestatẽ tribuat, & dicat sicut misit me Pater & ego mitto vos, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Sic ergo se Sathanas cum ministris suis hęrescon satoribus gerit, quomodo olim Rex Syriæ pugnaturus contra Regem Israël, vt habetur 2. Paral. cap. 18. Qui pręceperat ducibus equitatus sui dicens: *Non pugnetis contra minimum aut maximum, nisi contra solum Regem.* Eo enim profligato, facilè omnis exercitus debellatur, & in fugam vertitur. In Canticis Canticorum Ecclesia dicitur, *Terribilis vt castrorũ acies ordinata*, Duce prostrato vbi ordo? Vbi nullus ordo, sed confusio; cui terribilis erit? *Vidi*, inquiebat, Micheas Propheta requisitus ab impio Achab. *Vniversum Israël dispersum in montibus, sicut oves absque Pastore: revertatur vnus quisque in domum suam in pace.*

THEOPIST. Nunc clariùs intelligo quomodo isti novatores nostri, Sathanæ negotium agant, & hæreticis operentur: omnia enim validissima argumenta à firmitate Ecclesiæ petita, quibus à Patribus nostris hęreses Lutheri, Calvini & aliorum confossæ, & sępius iugulatæ sunt, iam nullius roboris erunt: quippe quæ à proprijs Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus in eius jugulum retorqueantur. Vnde iure meritissimo Catholici Doctores cum Sponsa in Canticis queri possunt, & dicere: *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me. Posuerunt me custodẽ in vineis: vineam meam non custodivi.* Nam cum Sacræ nostræ Facultati videatur vinea Christi Ecclesia, eiusque Doctrina Catholica & Apostolica, veluti pretiosissimum depositum, vt post Apostolum loquitur Vincentius Lirinensis, fidei & custodiæ eius

commiſſa; jam gemens & dolens intuetur, gladios filiorum ſuorum in ſinum ſuum converſos.

THEODVL. Vnum tibi profero auctorem, qui, ſi non primus in Gallia, ſaltem inter primos, videlicet ante centum annos, inſurrexit, tribus libris, adverſus eos, quos tum vocabant Pſeudo-Evangeliſtas, nos modò Calviniſtas aut Hugenotas; Is, omni exceptione major, & in Regia & in Romana Curia eſſe debet: cum in vtraque claruerit Eius libri ſi in noſtrorũ novitiorum Doctorum notitiam venerint, audacis vel mordacis potiùs illorum cenſuræ limam non evadent. Nihil hic firmiùs opponendum cenſuit ſuborienti tùm in noſtris Gallijs, & penè omnia Sacra & prophana devaſtanti hęreſi, quàm validiſſimam Petram Romanæ Sedis.

THEOPIST. Auctoris nomen & nobiles illus titulos quæſo mihi aperias: quandoquidem eſt apud te tantæ commendationis.

THEODVL. Intelliges ex titulo Librorum qui talis eſt: *Petri Lizetij Alverni Montigenæ, vtroque iure conſulti, primi dum hos libros componeret Officium præſidis in Suprèmo Regio Francorum Conſiſtorio exercentis: nunc cum in lucem edit, Abbatis Commendatarij Sancti Victoris. Lutetiæ apud Poncetum le Preux in via Sancti Iacobi ſub inſigni Lupi è Regione Mathurinorum M. D. LI.*

TRES autem volumen iſtud Commentarios continet. Primũ. Adverſus Pſeudo-Evang. Alterum de auctoritate Eccleſiæ: Tertiũ, de ſupremi Eccleſiæ verticis ſuorumque Decretorum auctoritate. Pagina 187. capite primo affert rationum momenta quibus hæretici probare nitebantur

omnes

omnes Apostolos æqualis fuisse, auctoritatis: nec Petrum etiam aliquando Romæ fuisse, nedùm ibi Sedem Apostolicam collocasse. Secundò sic in contrarium arguit fol. 193. *Hac ipsa profecto Pseudo-Evangelistarum apertißimo delirio suffragari videntur, qui Romani Præsulis à quo omnium Ecclesiarum stabilitas pendet, non modo conducibilem, sed & necessariam potestatem & auctoritatem in exilium protrudere nituntur. Donatistarum priscorum hæreticorum in ea re imitati morem* (Recordare obsecro eorum quæ mox ex Cypriano proferebamus, hanc fuisse omnium hæreticorum consuetudinem, vt hæreses suas,& Schismata incipiant à contemptu vnius in Ecclesia capitis.) tum allatis plurimis Sanctorum Patrū, Cypriani, Augustini, Cyrilli, Hilarij & aliorum Sententijs, quibus Supremam Petri in Ecclesia auctoritatem, ipsumque Petri nomen à Confessione derivatum *administeriale esse non proprium, & à fidei ipsius firmitate desumptum, clarè, demonstrat*, citato etiam Hier. adversus Luciferianos, qui docet, *salutem Ecclesiæ in Summi Sacerdotis dignitate pendere. Cui si non exors quædam ab omnibus eminens detur potestas, tot in Eccesijs efficientur Schismata, quot Sacerdotes*; tandem capiti quinto hunc titulum præfigit. *Romanum Præsulem pro salutis inveniendæ via, inventâque facilius custodiendâ, ac morum repurgamento, Constitutiones & Decreta edere potuisse cumpluribus rationibus ex Sacris Canonibus desumptis, cōprobatur: illiusque mandata & sanctiones maximâ cum reverentiâ excipiendas, observandasque fore: nec illis errorem inesse credendum, modò adhibito Fratrum consilio, non solus illis spretis, eas ipsas Pontifex statuerit atque promulgaverit.* Tùm ait: *Porro hoc vnius Episcopatus Caput administrum, Ecclesiæque Verticem pro commissi*

universi gregis directione, leges edere potuisse, & debere: eiusque Decreta venerando observanda cultu, approbare operæ pretium me facturum existimavi. Et inferius: *Romanum Præsulem Generali Christi Vicariâ potestate fungentem, pro viæ statu leges cùm definitivas pro fidei, vel Christianæ Doctrinæ dubietatibus explodendis, tum pro morum reformatione & repurgamento præcipuas sancire, promulgareque potuisse; multæ & Sacri Canonis, & Ecclesiasticorum Doctorum censuræ, simul & complures evidentes rationes palam faciunt*, fol. autem 218 exponens illud Mathæi cap. 18. dic Ecclesiæ: *Ecclesiam*, inquit, *vt speciali libro diximus*, primo videlicet hujus operis, *Christus intellexit; non omnium fidelium Congregationem, quam ut definiret, vel decerneret convocare impossibile foret: sed illius administros, qui eam ipsam quodam Officij typo referunt. Petrus autem & pro tempore successor illius plena Christi Vicaria fungens potestate, administerio ipso illam continere referreque videtur.* Cui sententiæ admodũ conveniunt D. Aug. in præcedentibus citata verba dum *ait: quòd sicut in Salvatore erant omnes causæ Magisterij; ita & post Salvatorem in Petro, ob quod Petrus se Apostolorum Os esse dicit, ad gentibus veritatem annunciandam: viri Fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelij.* Quod hic Lizetius Petrum *os* Ecclesiæ appellat, hoc à Cypriano didicerat qui jam à me semel & iterum citata Epist. ad Cornelium, sic loquitur: *Petrus pro omnibus loquens & Ecclesiæ voce respondens, ait Domine ad quem ibimus?* Quod etiam repetit Ep. 69. ad Florentium: *Petrus Ecclesiæ nomine docens & ostendens, &c.* Vnde pergit Lizetius pag. 219. *Quod igitur Petrus, vel pro tempore successor Christiano populo annun-*

ciat definiendo & statuendo, velut os Generale Ecclesiæ facere dicitur, sic Ecclesia illius ore loqui videtur. Dicto illius minimè audientes vel vt Ethnici & Publicani rejiendi sunt.

Quid igitur hic supremi totius Regni Senatus Princeps, & in iure dicendo Christianissimi Regis nostri os & Prorex, modò decerneret si ad hęc vsque tempora superstes sederet super Lilia? an non *hos, has* que Regijs & Pontificis diplomatibus obsistentes Ethnicos & Publicanos diceret? *Huius*, inquit pag. 220. citato Gratiano in cap. in Canon. dist. 19. *Decreta, velut Canonicæ Scripturæ auctoritatem habęntia* D. August. *Reverenda & colenda asseverat. Inquiens in Canonicis Scripturis Ecclesiarum Canonicarum quamplurimum Scripturarum divinarum solertissimus indagator auctoritatem sequantur: inter quas illæ sunt quas Apostolica Sedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere Epistolas. Hæc Pontificum Decreta Hugo à S. Victore, ad Novum Testamentum pertinere asserit, & veteris Testamenti Hagiographorum dogmatibus comparare videtur.* Tandem fol. 225. Sic loquitur Illustrissimus Protopræses. *Si Apostolicæ Sedis Decreta quæ pro omnium Ecclesiarum stabilitate & confirmatione, eduntur erronea offenderentur; vbi Sedis Petri promissa stabilitas? quomodo ab ea Fratres confirmationem recipere possent?* Propterea Hieron. *ad Damasum: emendari cupimus à te qui Petri fidē & sedem tenes. Cum successore Piscatoris & Discipulo Christi loquor. Ego nullum præmium, nisi Christum sequens beatitudinis tuæ, id est Cathedræ Petri communione consortior: super illam Petram fundatam Ecclesiam scio.* Hæc non Monachus ex Ordine Mendicantium, non Iesuita, non alius Pontifici Romano Sacramento & fidei-jussione singulariter addictus, non Doctor, non

Episcopus, sed Parisiensis Senatus Protopræses scribit. Et scribit adversus exorientem in Gallia Schismatis & Hæreseos Calvinianæ pravitatem: hæc & adhuc defuncti fides loquitur adversus insolentes Rabulas, & proscriptæ Regia & Pontificia auctoritate Doctrinæ deffensores: Scribit tandem probè sciens discernere (vt potè vtriusque Iuris Doctor) inter ea quæ Cæsaris & quæ Dei sunt: & utrique reddere quod suum est; nec ignorans Regium Galliarum Diadema, Deo solo acceptum, referre nostros reges; nec alteri quàm Regi Regum Christo, Regiæ suæ Dominationis, & administrationis rationem reddituros: quod & nos, pari fide, & solēni juramento hîc profitemur.

Theopist. Sponsum vt video nuptiarum, quibus interfuit Christus imitatus es. Nam & tu servasti mihi bonum vinum vsque adhuc. Nihil enim post hæc video dicendum ad propositum nostrum: cum hoc sapidissimo Gustu libenter recederem nisi mihi verbum promisisses de illa Chrysostomi vita à te citata. Quid igitur vno verbo de toto hoc scribendi Portus-Regalis genere censes?

Theodvl. Vno verbo vt rogas: *Molliti sunt sermones eorum super oleum: sed ipsi sunt jacula. Intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro* fucatæ eloquentiæ suæ, *rectos corde.* Ore, calamo & habitu habentes formam pietatis: sed virtutem eius abnegantes; eò dicipiunt plurimos, quò transferunt se in Angelos lucis, cum sint Sathanæ, quod olim Bernardus de Petro Abailardo & Arnoldo de Brixia dixit. Vix in tota antiquitate reperies hæreticum aut hæreticantem, qui non eos facundià ac dicendi copià, vi, ac suavitate vicerit. Lege

primum Vincentij Lirinenſis Commonitorium & docebit te quo loco horum lucubrationes habere debeas. *Horum*, ait *Doctrinam, eloquentiam, facundiam, ſanam licet; non tam ædificationem, quàm tentationem, Eccleſia dicit.*

Quod verò ſpectat ad illos duodecim S. Chryſoſtomi vitæ libros; non illos ego ſacram hiſtoriam, ſed antiquæ Eccleſiæ probrum, dedecus, & propudium dixerim: præſentis verò ſcandalum & opprobrium: habent quidem laudem viri nuſquam ſatis laudati: ſed ab eo auctore, omnium penè antiquorum Patrum, qui ea ætate floruerunt, famæ iacturâ ventilatur. Fæces omnes illius ſæculi non alio fine in vnũ volumen collegiſſe, & in hujus lucem protrudiſſe videtur, quàm vt omnes omnium temporum Eccleſiaſtici ſtatus Ordines, ómni vitiorum labe infectos ac deturpatos demonſtraret: vtque Chryſoſtomum Martyrem faciat, totum Orientem Catholicũ, Eccleſiaſticum & ſæcularem, tyrannũ illius denúciat: non illi ſancto officium reddit: ſed his omnibus, & Eccleſiæ Orientali in ſuis præcipuis membris injuriam maximam inurit. Crediderim facillimè Chryſoſtomum in Cœlo glorià & honore iam coronatum, conſummatæ ſuæ charitatis pallio, adverſariorum ſuorum exceſſus coopertur um, ſi ipſi liceret: & nunc coopertos velle ac deſiderare: quos auctor ille imprudens publicat, ac muliercularum oculis legendos exponit. Imprudentem dixi: quia ſi non malitià, ſaltem imprudentià maximè laboravit. Tum pręcipuè cùm Gallicam fecit illam vehementiorem Theophili in Sanctum Chriſoſtomum jam defunctum, orationem. Incidit ſiquidem in peccatum, quod in Hieronymo, qui

illam ex græco romanam reddidit , excuſare nititur. Quid autem hæc Theophili in defunctum Chriſoſtōmum inſectatio, aut ad Chriſoſtomi laudem , aut ad Eccleſiæ ædificationem confert ? Verbo abſolvam ; non leviori cenſurà Amadæo Guimeneo hunc auctorem dignum cenſeo ; cùm exempla magis moveant quam verba. Guimeneus ſolis Doctis Latinè ſcripſit ; hic omnibus mulierculis compto , ſuavi & compoſito ſermone gallicè loquitur. Cæterum, vt vnum Origeniſtam , Pelagianum, & Iſidori Peluſiotæ Epiſt. 284. lib. 2. iudicio, mollem, ſequatur ; omnes Catholicos Scriptores vitæ Chriſoſtomi deſerit , ac eo auctore reprehendit.

THEOP. Fefelliſti opinionem meam: Putabam enim te vnũ eſſe ex hujus libri Approbatoribus,& Admiratoribus.

THEODVL Lege obſecro Doctorum nomina qui huic operi ſubſcripſerunt : vix alios reperies omnium illarum lucubrationum Cenſores, de quibus, & alijs eiuſmodi innumeris voluminibus, hìc nihil attinet dicere : niſi fortè quod olim Lirin. Monachus, Com. l. 1. c. 16. de Neſtorio ſapientiſſimè pronunciavit *: vt vni hæreſi ſuæ aditum patefaceret , cunctarum hæreſeωn blaſphæmias inſectabatur. Fuge* ergo *dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulloque cervorum, ſuper montes aromatum.* Non ignoras per montes aromatum , Sanctos Eccleſiæ Patres & Doctores intelligi , quorum doctrina ſana, Chriſti bono odore , totum orbem perfundit : ſed alij ſunt montes quorum in excelſis , & Reges , & populus Iſraëliticus immolabant, contra Dei præceptum. Hi ſunt de quibus Auguſtinus ait ; *non faciunt magnas hæreſes niſi magni montes , hoc eſt , magna & ferventia ingenia.* O